



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XXXIV. De dependentia creaturarum à Deo in conseruatione, &  
gubernatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

# DISPUTATIO TRIGESIMA-QUARTA.

De dependentia Creaturarum à Deo in  
conseruatione, & gubernatione.

- Sect. I. *Utrum res omnes creata pendeant à Deo in conseruari?*  
 Sect. II. *Utrum res omnes creata pendeant à Dei gubernatione, & cooperatione in omnibus suis operationibus?*  
 Sectio III. *Refutatur contraria sententia.*  
 Sectio IV. *Refellitur aliud cuiusdam Recentioris argumentum.*  
 Sectio V. *Soluntur instantie eiusdem Recentioris contra obiectum scientie medie dirigentis concursum Dei.*  
 Sectio VI. *Refutantur alie instantie eiusdem Authoris contra decretum concurrenti.*  
 Sectio VII. *Refutantur quedam illius obiectiones, & effugia.*  
 Sectio VIII. *Refelluntur eiusdem argumenta contra nostram sententiam, sumpta ab auctoritate.*  
 Sectio IX. *Soluntur alia eius argumenta ex ratione desumpta.*  
 Sectio X. *Soluntur quinque eiusdem Authoris instantie.*  
 Sectio XI. *Respondetur reliquis eius argumentis.*  
 Sectio XII. *Refutantur illius responsiones ad argumenta sibi proposita.*  
 Sectio XIII. *Alie tres eiusdem Authoris euasiones refelluntur.*



De argumento proposito disputat S. Thomas qu. 103. 104. & 105. In quarum prima docet omnia quæ in mundo sunt, à Deo gubernari, quia ab illo diriguntur ad certum finem. Finis autem ille, Deus est, qui est bonum vniuersale & bonum per essentiam, ad quod bona participata ordinantur. Cumque mundi gubernatio sit optima; necesse est dicere mundum ab vno, nempe à Deo gubernari. Optima enim gubernatio est, quæ fit per vnum: quippe qui potest esse causa vnitatis, & pacis, cõuenientiùs quàm multi vñiti. Finis autem principalis gubernationis vnus est, nempe Deus. Effectus autem multi: præcipuè verò tres generales, nempe assimilatio creaturarum cum Deo, cõseruatio rerum in bono, & motio earum ad bonum. Omnia diuinæ gubernationi subduntur, non solum superiora, sed etiã omnia humana, & inferiora. Deus enim ordinat omnia in suam bonitatem, sicut in seipsum. Et quidem omnia gubernat immediatè secundum rationem gubernationis, quæ est ipsa prouidentia: quoad executionem verò, quedam mediis aliis gubernantur. Nihil autem euenit contra ordinem diuinæ gubernationis: Sed si quid ab illo deflectit secundum vnã rationem, ad illum reducitur secundum aliam. Neque potest aliquid contrarij ordini diuinæ gubernationis in generali:

quis ordo diuinæ gubernationis totaliter in bonum tendit: & unaquæque res in sua operatione, & conatu, non tendit nisi ad bonum. Nullus enim respiciens ad malum operatur. Potest tamen contrahere alicui determinato bono, quod est illi conueniens secundum suam naturam aut statum: ut peccatores, qui idcirco iuste puniuntur à Deo.

In secunda, affirmat omnia indigere Dei conseruatione, quia ab ipso pendent non in fieri tantum, sed & in esse, directe, & per se: cum sine tantum entia per participationem illius primi entis à se, & per essentiam. Non tamen omnia conseruat immediatè se solo: Sed quædam mediantibus aliquibus causis. Et cum liberè omnia conseruet, æquè ac creat; potest, si velit in nihilum redigere: quamuis re ipsa nihil in nihilum redigat: quia neque natura rerum id postulat, neque gratiæ ipsius manifestatio: Cum magis per hoc diuina potentia, & bonitas ostendatur quod res in esse conseruat.

In tertiâ denique tria præcipuè docet, nimirum 1. Deum posse immediatè mouere creaturas, etiam intellectum, & voluntatem creatam. 2. Deum operari in omni operante, non ita quidem ut ipsum nihil operetur: sed ita ut Deus cum illo operante concurrat effectiue. Propter quod in Scripturâ operationes naturæ Deo tribuuntur, quasi operanti cum natura: ut Iob 10. *Pelle, & carnis uessisti me, ossibus & neruis conpegisti me.* 3. Deum posse aliquid facere contra ordinem rebus inditum, miraculose operando: idque magis vel minus, prout unum, miraculum est, alio maius aut minus, id est, magis, aut minus excedens facultatem naturæ. Hæc D. Thomas, quæ sequentibus sectionibus, quoad opus erit, elucidabuntur.

SECTIO I.

Utrum res omnes pendeant à Deo in conseruari.

I. Res creatæ pendent à Deo in conseruari.



CONCLUSIO: Theologicè certum est, & de fide, res omnes à Deo creatas, pendere ab eius conseruatione continua, quamdiu permanent in esse. Probatum primò ex Scriptura, quæ rerum omnium conseruationem, æquè ac productionem Deo tribuit, Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu uoluisses: aut quod à te uocatum non esset, conseruaretur.* Et ad Hebræos 1. vers. 2. & 3. de filio dicitur quod per ipsum Deus fecerit sæcula, ipseque portet omnia, uerbo uirtutis suæ. Quibus uerbis distinguitur productio à conseruatione, & utraque Deo tribuitur, facienti sæcula, & omnia portanti, id est, sustinenti efficienter, ac uelut in esse, & in rerum natura sursum suspensa tenenti, ne in nihilum recidant: ut ibidem agnoscunt Chrysof. Ambros. Theophyl. Anselm. & reliqui interpretes. Eodem facit illud Coloss.

Probatum ex Script. & SS. Patribus.

1. vers. 16. & 17. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Vbi etiam Apostolus distinguit creationem, & conseruationem: aitque omnia non modò per filium, ut per uirtutem Patris, & in ipso uelut in sinu quædam momento, creata fuisse: uerum etiam in ipso consistere & conseruari. *Omnia in ipso constant* (inquit Anselm. in hunc locum) *quia sicut omnia creauit, ita omnia continet & regit.* *Omnia in ipso constant, quia secundum immensitatem incircumscriptam & incomprehensibilem diuinitatis eius, omnia sunt intra ipsum, & in nihilum recedant, per eum constant.* Chrysofomus, uero, in eundem locum homil. 3. in epist. ad Coloss. *Non solum ipse, inquit, ex nihilo ut essent produxit: sed idem ipse nunc quoque ea conseruat & uetatur: ita ut si ipsius cura destituerentur, mox perirent.* Et paulò post ait non minus esse mundum continere, seu conseruare, quàm fecisse. Similique modo exponunt alij Patres & Interpretes.

Huc etiam facit illud Joan. 3. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Quod de continua operatione in mundo conseruando, & in cooperando cum causis secundis, intelligit Patres ut Aug. li. 4. de Genesi ad lit. c. 12. ubi

Confirmauit

fic habet: Quod Dominus ait, Pater meus usque  
modò operatur, continuationem quandam opera-  
tionis eius, quã uniuersam creaturam continet &  
administret, ostendit. Et paulò ante dixerat:  
Creatoris omnipotentis virtutem & potentiam cau-  
sam esse subsistendi omni creature: quã virtus si  
ab eis, quæ collidit, regendis aliquando cessaret,  
simul omnium rerum species & natura concideret.  
Ibidemque explicans illud Genes. 2. Requie-  
uit Deus die septimo: ait cessare quidem in om-  
nis reum generibus condendis: at non ideo  
cessasse agere indefinenter in omnibus: iuxta  
illud Ioan. 5. Pater meus usque modò operatur.  
Non enim sicut structuram ædium cum fa-  
bricauerit quis, abscedit, atque illud absce-  
dente stat opus eius: ita mundus vel icu  
oculi stare potest, si ei Deus regimpen suum  
subtraxerit. Et lib. 12. de ciuit. cap. 25. in fi-  
ne, affirmat res creatas ita non fore, si Deus  
illis potentiam suam fabricatoriam subtra-  
hat, quemadmodum non fuerunt, antequam  
fierent. Et in Enchirid. cap. 26. ait Angelos  
(qui tamèn inter creaturas nobilissimi sunt)  
continù interituros, si creator desisset vitam  
illis administrare, viuacemque potentiam. Hiero-  
nym. quoque in Dial. contra Pelagianos, & in  
epist. ad Ctesiphonem ait, ad fidem  
pertinere conseruationem Dei, & coopera-  
tionem cum rebus omnibus. Et Gregor. lib.  
16. Moral. cap. 16. Cuncta ex nihilo facta sunt:  
eorumque essentia rursus in nihilum tenderet,  
nisi eam Author omnium regiminis manu susti-  
neret. Et paulò ante dixerat, quòd nisi Dei  
gubernanti manu teneantur, esse nequa-  
quam possunt. Et Origen. lib. 2. Periarch.  
cap. 1. Quomodo in Deo viuimus, & mouemur,  
& sumus? nisi quia virtute sua uniuersum con-  
seruauit & continet mundum? Et Damasc. lib. 1.  
de fide cap. 3. Creatura conseruatio, conseruatio, &  
gubernatio, hoc nos Deum esse, qui istud uniuersum  
constituit, & continet & conseruat, & prou-  
identia sua regit.

Hieron.  
Gregor.  
Origen.  
Damasc.

Huc denique pertinet celebris professio  
fidei Sophrenij in VI. Synodo Generali  
action. XI. approbata deinde actione XIII.  
quã sic habet: Nos agnoscimus unam Deitatis  
voluntatem, unam motionem, tam omnium que  
postquam sunt productricem, quam prouidam con-  
seruatricem & conseruatricem.

VI. Synod.  
4.  
Probatur  
ratione natu-  
rali res  
creatas  
pendere  
continù  
à Deo in  
conseruati.

Rationes philosophicæ ad idem confir-  
mandum hæ præcipuè sunt. Prima: Major est  
subiectio & indigentia quoad existendum  
& persistendum, cuiuslibet entis creabilis  
collati cum Deo, semota omni imperfectio-  
ne, quàm sit vilius collati cum aliqua crea-  
tura. Talis enim supereminetia est perfe-  
ctissima: ideoquè à Deo tribuenda: & Dei  
dominium in creaturas ita longè perfectius  
est, atque sunt ab ipsa creata, quæ in existere  
& conseruari pendunt naturaliter immédia-  
tè à causis secundis influentibus & conser-  
uantibus, ut in a sole, actu vitales à poten-  
tiis, ita ut sine illis non possint naturaliter  
persistere: ergo &c. Omnino quidem ab-  
surdum videtur mundum pendere minùs à  
Deo, quàm intellectio aut volitio pendeat

ab anima, visio ab oculo, lumen à sole. At  
hæc ita pendunt ut sine continuo influxu in-  
fluxu naturaliter esse nequeant: ergo &c. Se-  
cundò, necessitas quam habet ens per par-  
ticipationem ut sit aliquis influxus entis à se  
in ipsius esse participatum, est tali enti essen-  
tialis. Tale autem est omne ens creatum in  
quocunque statu. Quare ex propria atque  
essentiali conditione sua indiget primæ cau-  
sæ influxu, non tantum ut primò sit, verum  
etiam ut perseveret in esse. Ac sicut nullum  
ens esse potest extra Deum, quod ab ipso  
non sit: ita neque perseverare sine ipso con-  
seruante, & continù efficiente ut in esse ac-  
cepto perseveret.

Confirmatur, quia omne ens creatum est  
essentialiter ens ab alio, non minùs quam  
omne accidens sit naturaliter ens in alio, id  
est, indigens subiecto ut sit. Ergo sicut non  
potest naturaliter accidens conseruari in esse,  
& sine subiecto à quo perpetuò sustentetur:  
ita est impossibile creaturam vllam con-  
seruari in esse, si sine continuo influxu Dei por-  
tantis quodammodo & sustentantis. Ac sicut  
accidens non pendet tantum à subiecto ut  
primò sit, sed ut continù sit, quia scilicet,  
quamdiu est, tamdiu habet eandem naturam  
& indigentiam seu imperfectiorem natura-  
lem, id est, insufficientiam. Ostendi per se: ita  
creatura non tantum pendet ab influxu Dei,  
ut primò sit: sed quamdiu est, tamdiu eget  
eius influxu, quia tamdiu habet eandem na-  
turam & indigentiam naturalem essendi ab  
alio.

Tertiò, Deo tribuenda est perfectissima  
manutenentia rerum omnium quæ cum rea-  
ta ratione excogitari potest. Sed illa perfec-  
tissima est si res omnes creatæ pendeant  
immediatè à Deo, non solum in fieri, sed  
& in conseruari: ita ut nulla vel momento  
existere possit, nisi Dei potentia veluti ma-  
nu sustentante, & semper esse illi suppedi-  
tante. Quæ etiam de causa creaturæ sunt illi  
maximè adstrictæ: & quæ sunt ratione præ-  
dita, habent hic laudis & gratitudinis mate-  
riam amplissimam.

Superest notare non minus influxus re-  
quiri ut res in esse conseruentur, quàm ut  
primò producantur: quia non minùs habent  
indigentia ut sint. Quare res à Deo solo crea-  
ta, conseruantur eadem numero, actione  
creatiua semper continuata, quæ fuerunt  
primò productæ. Quæ autem fuerunt pro-  
ductæ concurrentibus causis secundis, sunt  
in duplici differentia. Quædam enim non  
existunt naturaliter nisi influente semper  
causa secunda. Et istæ conseruantur natura-  
liter eadem actione, quæ productæ sunt. Quæ-  
dam existunt non influentibus amplius cau-  
sis secundis: & istæ à Deo conseruantur alia  
actione maiori, æquivalente concursui cause  
primæ & secundæ qui fuit in prima earum  
productione. Quæ de re plura videri pos-  
sunt apud Less. lib. 3. de Summo bono cap. 4.  
num. 30. & sequentibus. Et Suar. disp. 21.  
Metaphyl. sect. 3. num. 18.

Confirmat.  
Non mi-  
nor requi-  
ritur ali-  
qua ut res  
creata con-  
seruentur,  
quàm ut  
primò pro-  
ducantur.

SECTIO II.

*Utrum res omnes create pendeant à Dei gubernatione, & cooperatione in omnibus suis operationibus.*

7. Omnia pendent à Dei gubernatione. VI. Synod.

Creaturas omnes pendere à Dei providentia & gubernatione patet ex Sap. 14. v. 3. *Tua autem Pater providentia gubernat: & alia quæ diximus disp. 18. sect. 1.* Idque confirmant definitio VI. Synodi Generalis, & alia multa quæ præcedenti sectione retulimus ex sanctis Patribus. Adde creaturas pendere à Deo non solum in gubernatione, quæ, propriè loquendo, est directio in executione ad finem rei convenientem: sed & in omni immutatione possibili, naturali, præternaturali, conraturali, & supernaturali seu obedientiali. Iuxta illud Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum, id est, vlla res. Vbi de opere Incarnationis maxime supernaturali, & omnium excellentissimo, se modo erit.*

8. Probatur ex Script. creaturas pendere à Dei cooperatione.

De cooperatione verò, seu concursu causæ primæ cum secundis in omnibus earum operationibus (quæ pars aliqua gubernationis est) probatur primò ex Scriptura Psalm. 138. *Si ascendero in caelum, tu illic es: Si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illic manus tua deducet me.* Quibus verbis Regius Pfalter affirmat Deum nos manu sua ducere quocunque nos virtute propria localiter movemus. Quod plus significat quam Deum vim tantum motivam nobis dedisse, & inclinationem ad motum, eamque perpetuò conservare. Significat, inquam, Deum manum suam, id est, omnipotentiam ad eundem motum causandum applicare, & nobiscum illum coëfficere. Etenim parentes à quibus vim motivam, naturalemque ipsius propensionem ad motum, accepimus, non propterea dicuntur manu sua nos ducere quocunque movemur. Ac neque dicerentur, quamvis eandem vim & propensionem in nobis conservarent; præsertim si aliquid moteremus nos contra ipsorum voluntatem & imperium. Nam evidenter aliud est in rigore & proprietate sermonis, dare aut conservare tantum virtutem motivam, quæ potest esse otiosa, neque tunc minus datur aut conservatur: & aliud, manu sua nos deducere, quocunque nos movemus ventres illa virtute. Est, inquam, illa manufactio aliquid amplius, quam potentia motivæ collatio & conservatio. Multò autem minus hæc pro eodem accipi possunt, iuxta modum loquendi vsitatum, si quis vtriusque virtute motiva sibi data & conservata, contra intentionem & voluntatem dantis & conservantis. Quis enim dicat filium patri charissimum, se sponte præcipitantem, fuisse à patre manu sua ductum ad præcipitium: licet à patre accepit virtutem motivam quæ malè vtitur: & licet eadem virtus conservaretur à patre ab-

hortente ab illo vsu? Atqui David verbis suprà relatis loquitur de vsu potentia mortuæ ad fugiendum Dei conspectum, eiusque iustitiæ se subtrahendum si fieri posset. Qui vsus esset contra Dei intentionem. Et certum est nos sæpius abuti contra Dei voluntatem, potentia mortuâ, aliisque facultatibus, nobis à Deo datis & conservatis.

In eundem sensum D. Augustin. lib. 4. de Genesi ad lit. cap. 12. post mod. exponit illud Apostoli Actor. 17. *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Exponit, inquam, eo sensu, ut Paulus velit non tantum nos in Deo esse per essentiam, ratione immensitatis suæ: sed etiam per potentiam nos conservantem, quandiu sumus: & nos vivificantem, atque moventem, quamdiu vivimus & movemur, causando in nobis actus & motus vitales, quos exercemus. Illud, inquit, quod ait Apostolus, in illo vivimus, movemur, & sumus, liquida cogitatum quantum humana mens valet, adiuvat hanc sententiam quæ credimus Deum in his quæ creantur indefinenter operari: Nimirum dando omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, ut ait Apostolus ibidem vers. 25.

9. Augusti

Item Scriptura non tantum affirmat generaliter Deum facere omnia, & sine ipso nihil fieri, Ioan. 1. v. 2. Verum etiam Deo tribuit singulariter effectus creaturarum, etiam illos, ad quos causæ secundæ sunt quam maxime proportionatæ. Ut quod fœnum vestiat, Luc. 12. v. 28. Solè suum orti faciat super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos, Matth. 9. v. 45. Det vnicuique seminum proprii corpus, sicut vult, 1. Cor. 15. v. 38. Obstetricante manu sua colubros educat, Job 26. vers. 23. Manibus suis plasmet & formet hominem in utero matris, cuiusque corpus mûlgeat, coagulet, pelle & carnibus vestiat, ossibus & nervis compingat, Job. 10. v. 8. & sequentibus. Quæ omnia sonant immediatam Dei operationem, aut cooperationem. Quod enim quis propria manu facit: veique facit per seipsû immediate & proximè: non tantum per aliû, seu mediatè solum & remotè. Neque possunt, retentâ, quod fieri potest, verborum proprietate, explicari hoc sensu, quòd Deus solum dederit causis secundis virtutè hos effectus producendi, eandemque conservandi. Nâ illa verba Job cap. 30. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmarunt me &c. Non sicut lac multasti me, & sicut caseum me coagulasti &c.* sumpta in rigore & proprietate verborum, quantum fieri potest, omnino plus sonant, quam ista. *Tu Domine dedisti virtutem parietibus meis, ut me formarent, plasmarent, mûlgerent, & coagularent, tanque virtutem, conservasti. Vel, ut aliquis Recentior volenter exponit, Tu Domine directè & immediatè misisti, ut parietes mei me formarent.* Neque si voluerit Scriptura exprimere Deum hæc omnia immediatè operari poterat uti verbis significantioribus, exceptis illis, quorum in schola tantum est vsus, *proximè & immediatè.* Quin etiam mater septem Machabæorum significat Deum multò magis operari for-

10. Confirmatur aliis Script. te. Aristonius.

mationem hominis, quam matrem ipsam: ita ut matris operatio nihili pre illa aestimanda sit: cum sic ait lib. 2. Machab. cap. 7. Nescio qualiter in utero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa concepisti. Sed enim mundi creator &c. Quibus verbis fortissima & sanctissima mulier, Spiritu sancto afflata & corroborata in agone martyrij, non negat causationem hominis: sed significat Deum multo magis eam operari. Eodem sensu, quo Paulus aiebat 1. Cor. 15. v. 10. Non ego, sed gratia Dei mecum, & 1. Cor. 3. vers. 7. Neque qui plantat est alicui, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.

II. Dicitur obiectio.

Non obest, quod respondet Resentior ille, Metaphoram necessariò intelligendam esse in verbis illis: Manus tue Domine fecerunt me, & plasmauerunt me &c. adeòque verba illa non plus probare concursum Dei immediatum, quam si Scriptura diceret, Deum solo imperio voluntatis suae uniuersa produxisse. Respondeo enim, metaphoram quidem esse in voce illa, manus tue. Quia Deus, cum sit incorporeus, non habet manus propriè dictas, sed nomine manuum eius omnipotentia intelligenda est: Verumtamen Scriptura hęc ipsa metaphora videtur, ut significet Deum immediate potentia sua operari effectus illos: sicut nos immediate & per nos ipsos operamur ea quae manu propria facimus plasmando, mulgendo, pistendo, &c.

Accedit quòd Scriptura locis citatis intendit nobis commendare quotidianam & assiduam Patris celestis beneficentiam, id est quòd solem suum ortiri facit, dat pluias de caelo, omnes pascit, & omnibus omnia necessaria suppeditat, nos manu duci, nos manu propria format &c. Multo autem magis & efficacius commendatur, si non tantum causis secundis, sed etiam virtutem hos effectus operanti, eamque conferuet: sed etiam (quod verba ipsa Scripturae per se ferunt) eosdem effectus immediate operetur. Item, Sancti Patres ex istis locis, & similibus, probant Deum assidue operari, etiam die Sabbathi, iuxta illud Christi Ioan. 5. versu decimo sexto, Pater meus usque modo operatur, & ego operor. ubi Christus loquebatur de operationibus miraculosis, quas certe operabatur aliter, quam producendo solùm & conseruando causas secundas cum naturali eorum propensione. Et verò conseruare dicitur et vires causarum secundarum, non est propriè loquendo operari earum effectus. Neque etiam ad hoc sufficit deesse illis in eorum productione virtutem & propensionem operanti. Alioquin aequè dici posset omnes rerum generationes, & alterationes, ac mutationes naturales, fieri à primis indiuiduis initio mundi creatis: quia sunt virtute ab eis accepta. Quod tamen Scriptura nunquam asserit, neque de illis simili modo atque de Deo loquitur.

Probatum secundò ex sanctis Patribus, v. Dionys. cap. 5. de diuin. nom. ubi ex eo quòd Deus cum omnibus causis secundis cooperatur, ait idcirco Deum esse similem unitati, quae sui crebra applicatione numerum omnem calulat. Et cap. 9. affirmat, Deum dici magnum in Scripturis, quòd omnia transcendat: purum, subtilem, tenuem, atque aere tenui similem, Sap. 7. vers. 22. & 23. & 3. Reg. 19. vers. 12. eò quòd ad omnem omniniam actionem se insinuet ac penetrat. Quo sensu Sapiens ipse ca. citato sapientiam Dei subtilem appellat, & mobilem (actiue scilicet) quia tum sit sua omnia potest: & cum sit inseparans, omnia inuouet, ut ait ibidem vers. 27. Et D. Augustin. lib. 12. de ciuit. cap. 25. post varia ex Scripturis citata, sic ait: Occulta Dei potentia cuncta penetrans in omninoabili presentia facit esse quicquid aliquo modo est, in quantumcunque est: quia nisi faciente illorum tale vel tale esset, prorsus esse non posset. Vbi notanda sunt verba illa: Potentia cuncta penetrans, &, facit esse quicquid aliquo modo est. Significant enim Deum non remouet tantum se habendo & mediate, sed intime & immediate penetrando ad omnem omnino actionem se insinuare, ut paulò antea retulimus ex Dionysio. Et epist. 146. ad Consentium, quæst. 2. Quod quæris, inquit, vtrum sigillatim a creatore Deo, corporum lineamenta formantur, non re mouebit, quantum potest humana mens, potentiam cuius operationis intelligas. Quomodo enim negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta quae creantur, cum Dominus dicat, Pater meus usque nunc operatur? Unde illa cessatio septimi dici, ab ipsis naturis condendis intelligenda est facta, non ab earum administratione, qua condita reguntur. Cum ergo natura rerum à Creatore administraretur, & per ordinem, & prescriptis locis, & temporibus suis cuncta nasceretur, Deus usque nunc operatur. Nam si Deus nunc ista non format, quomodo legitur, Priusquam te formarem in utero, noui te? Quomodo etiam accipi potest, Quod si fecerim agri, quod hodie est, & cras in cibatum mittitur, Deus sic vestit? Nisi forte credendum est fecerim à Deo vestiri, & à Deo corpora non formati? Cum enim dixit, vestit, non de præterita ordinatione, sed de presenti operatione factis indicat. Unde est etiam illud Apostoli de seminibus, quod supra commemorauimus: Non, inquit, corpus quod futurum est feminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alius cuius carerimus. Deus autem illi dat, corpus quomodo voluerit. Non dixit, Dedit, aut, Disposuit; sed, Dato, ut Creatorem intelligas efficaciam sapientie suae, probus quos quorundam suis temporibus oriuntur condendis adhibere. De qua sapientia actum est, Retendit à fine usque in finem fortiter, & non dixit, disposuit, sed, disponit omnia suaviter. Hęc August. quibus nihil clarus dici potest.

Similia verò habet Cyrill. lib. 2. in Ioan. e. ad illa verba, Pater meus usque modo operatur. Cyrill. Chrysof. hom. 37. in Ioan. circa eadem verba: & Hieron. in Dialogo contra Pelagianos, Hieron.

& in epist. ad Cresiphontem, ubi dicit ad fidem pertinere non modò Dei conseruationem, sed & cooperationem cum omnibus rebus. Eius uerba in epist. ad Cresiphontem hæc sunt: *Fraudulenter præterdis ut gratiam Dei ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cum Dei contempnas administratum, hominum requiras auilia. Audite queso, audite sacrilegionem: sed inquit, uoluerit curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurre, sputa iacere, duobus digitis narium purgamenta decedere, releuare alium, urinam cogerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingræte, imò sacrilege, Apostolum prædicantem, siue manducatis, siue bibitis, omnia in nomine Domini facite, &c. Et lib. I. Dialogi contra Pelagianos, Critobulo id est, Pelagiano, sic obijcitur: Si in singulis rebus, quas gerimus, Dei utendum est adiutorio: ergo & calaminum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manumque epistole litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cetera huiusmodi, nisi Deus iuuat, non poterimus. Respondet Atticus, id est, Catholicus, iuxta meum sensum non posse perspicuum est.*

15. Neque dicas Hieronymum loqui tantum de operibus illis prout honestè & cum uirtute fiunt, deque auxilio gratiæ necessario, ut honestè fiant: non autem de concursu generali, quem Pelagius non negabat. Alio, qui nihil aduersus Pelagium concluderet, qui solum negabat gratiam peculiarem in ternam, ad opera salutis æternæ meritoria esse necessariam. Ut patet ex his quæ Hieronymus addit in eadem epist. ad Cresiphontem: *Audi ingræte, imò sacrilege, Apostolum prædicantem, siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud agitis, omnia in nomine Domini facite. Et: Si arbitrio suo regitur, ubi est auxilium Dei? si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Ieremias, non est in homine uia eius? Christus autem non regit nos nisi in operibus gratiæ.*

16. Respondeo enim Pelagium præcipuè quidem & directè negasse solum necessitatem auxilij gratiæ ad opera ita æternæ meritoria, uel ad illam assequendam conducentia, in quo errore confutandò & damnando Patres & Concilia laborauerunt: consequenter tamen, & ex iisdem principijs negasse concursum generalem, siue immediatam Dei cooperationem, ad actus liberos: ne, si egeamus Dei cooperatione immediata, tollatur usus libertatis. Quo præcipuè fundamento nititur cum Pelagio Recentior ille Durandi sectator, quem sectionibus sequentibus impugnabimus. Id colligo ex eodem Hieronymo, qui in epist. eadem ad Cresiphontem ita refert errorem Pelagij: *Dei gratia est, quod propria nos condidit uoluntatis, & libero arbitrio contenti sumus: neque ultra eius indigemus auxilio: ne si indiguerimus, liberum fran-*

gatur arbitrium. Et in eadem epistola multò ante medium, Principem Pelagianorum ita philoiphari ait: *Si nihil ago absque Dei auxilio: & per singula opera est eius omne quo gesserò: ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium. Frustraque dedit arbitri libertatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adiuerit. Destruitur enim uoluntas, quæ alterius ope indiget. Et paulò post: Si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruitur. Et in Concilio Palæstino damnauit hic Pelagij articulus, numero decimus. Non est liberum arbitrium si Dei indiget auxilio. Quoniam in propria uoluntate habet unusquisque facere uel non facere. Eundemque errorem Pelagij refert S. Augustinus, iisdem uerbis in epist. 106. circa finem. & addit: *Fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi diuino indiget adiutorio.**

Neque obest id quod addit Hieronymus, *siue manducatis, siue bibitis &c. omnia in nomine Domini facite. Nam cum hæc & similia opera, de se indifferentia, duplici modo fieri possint: primò, ad Deum in se referendo: aut per alium finem bonum honestando: uel ter ad uitam æternam: secundò, simpliciter, & absque tali relatione ad finem honestum: Hieronymus probat nos Dei ope indigere quocunque modo fiant. Et pro primo quidem, adducit illud Apostoli I. Cor. 10. *siue manducatis &c. Pro secundo affert illud Iacobi 4. v. 13. Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras proficiscemur in illam ciuitatem: & faciemus illic annum, ut negotiemur & lucemur &c. (qui finis est indifferens) pro eo ut dicatis: si Dominus uoluerit, & si uixerimus, faciemus hoc aut illud. Quodque Hieronymus loquatur latius quàm de auxilio necessario ad opera salutaria, id est, de concursu etiam generali ad quoscunque actus, siue bonos, siue malos, patet ex uerbis Critobuli, id est, Pelagij, eodem dialog. I. *Si absque Deo, & nisi per singula me moueris, nihil possunt agere: nec pro bonis me operibus iuste condonabit, neque affliget pro malis; sed in utroque suum uel recipiet, uel dabit auxilium. Vbi manifestè loquitur de auxilio communi bonis & malis operibus. Respondenti autem Attico, id est Hieronymo, *Non ita est uoluntas nobis liberum arbitrium, ut per singula opera Dei tollatur administratum: subiicit Critobulus, *Non tollitur Dei adiutorium cum creatura in semel dati liberi arbitrii gratia conseruetur. Et paulò post, *Si in omnibus, inquit, ille cooperatur, non est meum, sed eius qui adiuuat, imò qui in me cooperatur, præsertim cum absque eo facere nihil possim. Scio à quibusdam profertur hunc locum ex Pelagij commentarijs in epistolas Pauli, falsò tributis Hieronymo: Qui (Dominus) uelique semper uidet, & custodit omne quod factum est. At ex eo non satis efficaciter colligunt aduersus Pelagium concursum Dei immediatum ad actiones creaturarum. Alia quæ profertur ex Iuliano, efficaciora quidem sunt, ad probandum agnouisse illum Dei concur-******

sum generalem: sed non omnes eiusdem hæ-  
resis professores isti omnibus consentiunt, ne-  
que eadem via illam defendunt.

18.

Occurrit  
obicipio.

Non obest etiam id quod vltimo obicitur  
ex eod. in Hieron. *si suo arbitrio regitur &c.*  
Hoc enim dicitur ab illo ad confutandum  
alium errorem Pelagii, quæ ipse sic refert: *Vna  
& aules lingua proferre temeraria, vnumquem-  
que arbitrio suo regi: vniuersaliter scilicet, &  
in quibuscunque operibus, in quibus nos Deo  
& Christo rectere egeret certum est. Vnde  
sic merito obiicit illi errori Hieronymus: si  
suo arbitrio regitur, ubi est auxilium Dei? si  
Christo rectore non indiget, quomodo scribit Teren-  
tius: Non est in homine via eius: & A Domino  
gressus hominis dirigitur?*

19.

Probat  
concur-  
sus  
Dei in me-  
diatus ex  
D. Thoma.

Probatur tertio auctoritate & communi  
consensu Theologorum ferè omnium cum  
D. Thom. q. 105. art. 5. in corp. & ad 2.  
vbi ex professo hæc de re disputat: & lib. 3.  
contragrat. cap. 70. & in 2. dist. 37. q. 2.  
art. 2. vbi ait contrariam opinionem quorun-  
dam esse propinquissimam duplici errori.  
Primo quia, inquit, ex ea videtur sequi quod sin-  
plura prima principia. Hoc enim est de ratione pri-  
mi principii, vt agere possit sine auxilio prioris agē-  
tis & influentia eius. Vnde si voluntas humana  
actionem aliquam possit producere, cuius auctor  
Deus non esset: voluntas humana rationem primi  
principii haberet. Quæuis hoc soluere nitantur  
& aduersarii dicentes, quod voluntas, etsi per se  
possit actionem producere sine influentia prioris  
agentis: non tamen habet a se esse: sed ab alio,  
quod etiam exigeretur ad rationem primi princi-  
pii. (Quæ est ipsissima responsio Recentio-  
rum Durandi & ceterorum.) sed hoc videtur  
inconueniens, vt quod a se esse non habet, a se a-  
gere possit: cum etiam per se durare non possit,  
quod a se non est. Omnis etiam virtus ab essentia  
prior edit, & operatio a virtute. Vnde cuius essen-  
tia ab alio est: oportet quod virtus & operatio ab  
alio sit. Et præterea, quamuis per hæc responsio-  
nem vitaretur quod non esset primum simpli iter,  
non tamen possit vitari, quod esset primum agens,  
si eius actio in alio prius agens non rediret,  
sicut in causam. Secundo, quia cum actio,  
etiam peccati, (quam illi Recentiores tanto-  
peccata Dei concursu remouere conantur) sit  
ens quoddam: non secundum quod priuationes &  
negationes sunt a Deo: sed etiam secundum  
quod res in genere existentes entia sunt: eod quod  
& ipsæ actiones in genere ordinantur: sequeretur  
quod si actiones peccati a Deo non sunt: aliquid  
ens essentiam habens a Deo non esset: & ita Deus  
non esset vniuersalis causa omnium entium, quod  
est contra perfectionem primi entis. Huc vsque  
S. Thom. Cuius verba sunt aded perspicua,  
vt mirum sit, Recentiores quendam ad con-  
cursum dumtaxat mediatum, & ad Durandi  
errorem detorqueere ea voluisse, coniecturis  
plane friuolis & inanibus.

Retur-  
tur  
prima qua-  
estio.

Nam quod primo ait, S. Thomam loqui  
de opinione eorum qui existimabant actio-  
nem peccati, nullo modo in Deum esse red-  
gendam: adeoque non loqui de opinione

Durandi, qui actionem illam fateatur esse a  
Deo aliquo modo, nempe mediate: plane  
friuolum est. Cum manifestum sit ex verbis  
D. Thomæ ab eodem Recentiore relatis, il-  
lud, nullo modo, nihil aliud significare, quam  
actiones peccati non esse a Deo, neque in-  
quantum actus sunt, neque inquantum de-  
formes sunt: sic enim habent verba D. Tho-  
mæ: *Circa hæc questionem tanguntur a Ma-  
gistro duæ opiniones. Quarum vna dicebat, omnes  
actus, inquantum actus sunt, ex Deo esse: sed  
inquantum deformati sunt, a Deo non sunt,  
sed ab homine vel a diabolo, & horum rationes  
supra dist. 31. profertur est. Alia opinio dicebat  
actus peccatorum nullo modo, nec etiam inquan-  
tum actus sunt, a Deo esse. Et hæc opinio tangit  
in præfati distinctione, quam ad præfens nulli  
vel pau i tenent: quia propinquissima est errori  
duplici &c. Videat ergo Lector, qua fide  
Auctor ille D. Thomam tam male interpre-  
tetur: & num in aliis Authoribus referendis,  
aut explicandis in fauorem suæ sententiæ,  
suspectus esse debeat.*

Secundo ait S. Thomam dicere, opinionem  
illam esse nullius vel paucorum: ergo non loqui-  
tur de Durandi opinione, quam S. Bonauen-  
tura contemporaneus D. Thomæ ait esse  
valde rationabilem, & pæclarorum Docto-  
rum. Verum in hoc quæque fidem istius  
Authoris desidero. Nam D. Thom. dicit,  
opinionem quam refutat, in præfens esse nullius  
vel paucorum. Sanctus autem Bonauentura  
non ait esse in præfens: sed fuisse magnorum  
virorum: & nunc post multam discussio-  
nem, teneri communiter contrariam sen-  
tentiam, illam uel esse absque omni ambiguitate  
tenendam. Itaque S. Bonauentura idem docet  
de illa opinione, quod S. Thomas. Il-  
lam scilicet in præfens nullius esse, vel pau-  
corum, & contrariam teneri communiter,  
addit esse certò tenendam. Verba hu-  
ius Doctoris Seraphici hæc sunt in 2. dist.  
37. art. 1. q. 1. *Vtrum omnis actio secundum  
quod actio sit a Deo. Respondeo, inquit,  
dicendum quod, sicut Magister dicit in lita-  
ra, circa istam questionem fuerunt diuersæ  
positiones, aded magnorum virorum, & aded  
rationabiles, vt nec Magister ausus fuerit de-  
finire, quam earum magis contineat veri-  
tatem. Atramen quia per multam discus-  
sionem dubia ducuntur ad manifestationem:  
nunc communiter tenetur, quod illa opinio  
vetior sit, quæ dicit quod omnis actio, siue  
substrata peccato, siue non, secundum id  
quod est actio, est a Deo. Nec immerito:  
quia illud oportet ponere, si pensetur emi-  
nentia diuinæ potentia, & intelligentia po-  
tentia creatæ. Quia enim Deus est causa  
primordialissima: ided est influentiæ maxi-  
mæ in causas secundas, & aded magnæ in-  
fluentiæ, vt nec minimum, seu quantumcum-  
que parum (dum tamen aliquo modo sit  
ens) procedat ab aliqua causa creatæ, nisi  
operante diuina potentia. Omnis enim  
potentia creatæ, quantum est de se, defectiua  
est: nec est pure actiua. Ergo quantumcumque*

21.

Secunda  
causio.

Bonauentura

faciat modicam operationem, necesse habet adiuuari ab ea potentia, quæ est actus purus propter omnimodam impermixtionem cum materia, & quæ sola sibi sufficit, nullo modo indigens adiuuari a causa alia. Et ideo hæc positio, quæ dicit omnem actum esse à Deo secundum quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est. Hæc S. Bonavent. quæ adhuc ad concursum medicum, id est, ad Durandi errorem detorque, vt facit idem Recentior, est potius abusi patientia Lectoris.

22. Tercio, inquit, S. Thomas affirmat opinionem illam esse propinquissimam errori. Nempe quod sunt duo principia: & quod Deus non sit vniuersalis causa omnium entium. Qui errores longè absunt ab opinione Durandi. Quippe qui faceret, causas omnes secundas esse à Deo, & virtutem agendi ab illo accepisse: quamvis sine concursu eius immediato operentur. Vnde earum actio non potest non esse mediata à Deo: & Deus non potest non esse primum principium, saltem mediatum, eiusdem actionis. Item Durandus bene explicat Deum esse causam vniuersalem omnium entium: quia scilicet omnia sunt ab illo proximè, vel remotè & mediata.

At hæc ipsa excusatio sententiæ Durandi discretè refellitur à D. Thoma, verbis supra fideliter relatis. Quare in hac etiam parte bonam fidem istius Recentioris, vel maiorem attentionem, desidero: & concludo dubitari non posse. S. Doctorem notam illam inurere sententiæ neganti concursum Dei immediatum ad actus & operationes creaturarum. Eandemque sententiam reiciunt & censura notant ceteri fere omnes Theol. vt testatur Vasq. 1. p. disp. 99. cap. 2. & Raynaud. in Noua libertatis explicat. parte 2. cap. 4. Vbi plurimorum censuras, & verba ipsa refert.

23. His Scripturæ, & Patrum, ac Theologorum auctoritatibus accedit ratio multiplex. Primum enim, vt eas non repetam, quæ à Sanctis Thoma & Bonaventura, verbis supra relatis, sunt adductæ: Deo tribui debet perfectissima manutententia rerum omnium, quæ cum recta ratione excogitari potest. Sed ea est perfectissima, si Deus concurrat cum omnibus causis secundis, & ab illis nihil fieri possit, quod à Deo non fiat: neque ostenditur id rectæ rationi repugnare: Ergo &c. Secundò, maior est subiectio & dependentia creaturæ cuiuscunque à Deo in fieri, quam sit vnius entis creati à quouis alio, semotis omnibus imperfectionibus. Atqui sunt aliqua entia creata, quæ, naturaliter saltem, fieri nequeunt sine influxu proximo & immediato alterius creati, vt actus vitales sine potentijs vitalibus, & lumen sine sole, vel alio corpore illuminante. Ergo multò magis nullum ens creatum fieri potest sine proximo & immediato concursu Dei. Tercio, multò magis pendet in agendo omne causa creata à Deo, semotis omni impe-

ctione: quàm vlla causa creata dependeat ab alia. Atqui sunt aliqua causa creata, quæ ita pendet ab alijs, vt sine illis immediatè concurrentibus agere non possint: sicut habitus, vel species impressa, nihil possunt operari sine potentijs. Ergo multò minus possunt agere causæ secundæ sine concursu immediato primæ. Omnino multò perfectius est causæ primæ dominium in causis secundis, ita sibi subordinatas. Quarto, nulla est ratio, cur quando ignis v. g. calefacit, producat, hic numero calor præ alijs infinitis, æquè producibilibus diuisim ab eadem causa. Hic & nunc, & in iisdem alijs circumstantijs, nisi recurratur ad determinationem causæ primæ, quæ pro sua libertate hunc præ alijs eligit, & ad illum dirigit suum concursum, & cooperationem causæ secundæ de se indifferentis ad hunc aut illum, impotentisque vt seipsam determinet.

Quintò, nulla alia causa vera vel probabilis assignari potest, cur actus contritionis v. g. elicitus à peccatore naturæ prius, quàm illi infundatur habitus charitatis, sit in substantia supernaturalis: nisi quia elicitus voluntate, Deo immediatè concurrente loco habitus infusi. Sextò, cum effectus causarum secundarum tribus tantum modis impediri possint: nempe vel destruendo causam eiusque virtutem: vel opponendo illi formam contrariam, vt calori frigus, aut aliud impedimentum posituum: vel subrahendo concursum necessarium ad agendum: Non apparet quomodo possit Deus aliter quàm hoc tertio modo priuare solem illuminatione, sine ipsius æ luminis ei conaturalis destructione. Quam enim formam contrariam potest lumini opponere? Supponimus autem non deesse subiectum capax illuminationis debite applicatum. Negare verò Deum id posse, est iniuriam facere ipsius omnipotentia. Estque potius credibile Deum interdum simili suspensione concursus vsum esse. Vt quando ignis formæ Babylonicæ non nocuit tribus pueris, oblitus virtutis suæ, vt loquitur Scriptura. Septimò, absurdum est dicere aliqua esse entia creata, quæ per se propriè non pendent à Deo: cum potius de essentia cuiuslibet entis creati sit pendere ab ente primo, esseque per dependentiam & participationem ab illo. Nequi in contraria sententia multa essent entia creata quæ per se propriè non penderent à Deo: puta lux à lumine solis producta & conseruata: & actus vitales producti & conseruati à solis potentijs vitalibus. Nam hæc & similia penderent tantum à Deo remotè & mediata. Quod autem pendet tantum remotè & mediata ab alio, non pendet propriè ab illo & per se. Sicut non dicitur calefieri ab igne propriè & per se, illo qui solum calefit calore aquæ, ab igne prius calefactæ. Plures ad idem confirmandum rationes adduci possent: sed istæ sufficiunt. Quæ verò illis responderet, aduersarius, resellentur infra sect. 12. & 13.

23. Prebatur ratione cooperatio causa primæ cum secundis.

Confirmatur pluri- bus argu-

Sapientia 16. vers. 23.

## SECTIO III.

*Refellitur contraria sententia.*25.  
Refellitur  
sententia  
Durandi.

Contrarium sentit Durand. in 2. dist. 7. q. 5. & dist. 37. q. 1. ubi admittit quidem Deum esse causam omnium effectuum & omnium rerum creatarum, mediate taliter, scilicet remote & in radice: quatenus scilicet vel sunt ab ipso solo, vel si ab alia creatura; tamen ad Deum tandem deveniendum est, à quo illa existentiam & vim producendi acceperit: contendit nihilominus virtutes naturales proportionatas suis effectibus, eos producere sine cooperatione Dei, qui eos non attingat, nisi mediantur virtute agentis à se producti. Sicut in creatis Pater est causa effectuum Filii. Et artifex qui instrumentum fecit & aptavit, puta scloppum vel gladium, est causa eorum omnium quæ tali instrumento fiunt.

126.  
Opinio  
quorundam  
Thomist.  
illi affinis.

Ab eadem veritate deflectunt quoque Thomistæ, qui volunt concursum diuinum consistere, in eo quod Deus aliquam vim creatam & fluentem communicet causis secundis actualiter operaturis. Quæ vis sit quasi proprium instrumentum primæ causæ, ita ut per eam virtutem dicatur prima causa attingere effectum secundæ, sicut proiciens mouet proiectum per virtutem impressam. Primum enim, Deus sic non est causa proxima, sed remota effectus secundæ causæ. Secundò, admissio quod aliquis effectus possit esse sine immediato concursu causæ primæ, non est ratio, quare causa secunda sola, sine illa virtute addita, non possit operari. Dices non posse: quia est creatura. At etiam totum compositum, ex causa secunda & tali virtute addita, est creatura. Tertio, superuacua est talis virtus, si causa secunda est completa in suo ordine, id est, si habeat omnia quæ pertinent ad integritatem virtutis creaturæ: sicut scilicet respectu lucis, & ignis respectu caloris, & similia, habere certum esse videtur. Quarto, illa virtus si ponitur à Thomistis ad determinandam causam secundam ut agat. Sed hoc in causis necessariis est superfluum: quippe quæ sunt seipsis determinata & necessitata ad agendum, possunt omnibus ad agendum prærequisitis. In liberis vero impediret usum libertatis, quæ debet seipsam determinare ad agendum. Ut autem sic numero effectus oritur præ aliis æque possibilibus diuisim hic & nunc, facit Dei concursus immediatus directus à Deo ad hunc numero effectum, & eundemque dirigens causam secundam absque vlla qualitate prævia de nouo indita causæ secundæ. Sicut enim causa secunda determinat primam ad speciem effectus, absque eo quod illi quicquam imprimat: sic prima causa determinat secundam ad indiuiduum sine impressione neque qualitatibus, hoc solo quod potentiam

suam, & virtutem causæ secundæ, applicat ad hunc numero effectum qui simul ab utraque causa producitur. Verus enim sensus istius propositionis, Causa secunda determinat primam ad speciem effectus, & causa prima determinat secundam ad indiuiduum, hic est: Quod ideo causa prima concurrat ad talem speciem effectus, potius quam aliam: quia causa secunda vel naturaliter, si est necessaria, vel libere, si est libera, talem speciem effectus postulat. Ideo vero causa secunda hunc numero effectum producit præ aliis infinitis eiusdem speciei, æque possibilibus hic & nunc in iisdem circumstantiis: quia causa prima, quæ distinctissime nouit vnumquodque indiuiduum cuiuslibet speciei, & pro sua libertate potest ad id quod volentiam suam applicare, & concurrere ad illud cum causa secunda; dirigit illam ad hoc indiuiduum, ad quod simul cooperatur causa secunda, tum efficiens, tum etiam materialis ex qua educitur hic effectus. Hoc enim ipso quod Deus non præbet concursum suum nisi ad hunc numero effectum, non potest alius à causa secunda prodire. Quæ consideratione occurrit præcipuo fundamento Thomistarum, & magis proprio huius loci: reliqua pertinent ad disputationem de physica prædeterminatione.

Argumenta vero Durandi hæc sunt. Primum: Si Deus ageret immediate ad productionem effectuum causæ secundæ (ut quando ignis generat ignem) aut ageret eadem actione, quæ creatura: aut alia. Non eadem, propter duo. Primum, quia illam potest habere creatura sine speciali influxu Dei, præter conseruationem: actio enim quæ non excedit virtutem speciei agentis, sufficienter elicitur à sola virtute speciei. Secundò, quia impossibile est eandem actionem numero esse à pluribus agentibus immediate, & perfecte à quolibet, nisi in illis sit eadem virtus numero. Non etiam alia: quia vel vna illarum actionum prius attingeret productum, quam alia; vel non, sed utraque simul. Si primum, putà si actio Dei prius, quam actio creaturæ: Deus sua actione totum produceret, & creatura nihil ageret. Si secundum: altera est superflua, quia vna sufficit ad totum producendum. Adde quod actiones sunt idem realiter cum suis terminis. Ergo ad eundem effectum impossibile est dari diuersas actiones.

Respondeo primò iuxta veram sententiam (quod scilicet actio nihil sit aliud quam ipsa potentia quæ agit, ut per se immediate ponens effectum) causam primam & secundam non agere eadem sed diuersa actione: quia agunt diuersa potentia, seu virtute agentis. Neutra vero prius attingit effectum, quam alia: sed utraque simul, concurrendo ad idem indiuisibiliter. Neque propterea vna illarum actionum superflua. Quia neutra est totalis ex parte causæ, neque sola sufficit ad ponendum effectum. Et quamuis Deus posset, si vellet, producere solus ta-

lem effectum (vi de plurimis verum est) non tamen ea sola applicatione potentiae, qua concurrat cum causa secunda: sed maiori opus esset, & aequaliter concursus utriusque causa. Iuxta eandem sententiam falsum est, quod assumit ultimum Durandus, actiones esse idem realiter cum suis terminis, id est, cum effectibus.

39. Respondeo secundo, iuxta alteram sententiam plurimorum, qui volunt actionem esse in patiente vel in termino, & isti realiter identificari, aut modaliter tantum ab eo distingui: causam primam & secundam agere eadem actione. Quam actionem creatura non potest habere sine immediato concursu Dei, ex essentiali indigentia & imperfectione creaturae. Sicut non potest habere esse & virtutem agendi, suae speciei, sine immediato influxu Dei in fieri, & in conservari, id est, in totum esse. Estque proportio inter esse & virtutem agendi illius speciei, & inter agere illius speciei: quod sicut esse & virtus agendi pendet a Deo immediate, ita & agere, sive actio. Porro nec actio est immediate utraque causa, prima & secunda. Est perfectio a qualibet, si perfecte sumatur pro totaliter ex parte actionis & effectus. Tota enim actio, & totus effectus, pendet secundum se totum a qualibet. Non autem si sumatur pro totaliter ex parte causa, simpliciter loquendo, Nam neutra est sola & integra causa talis actionis & effectus, sed est partialis simpliciter, & totalis tantum secundum quid, id est, in suo genere & ordine. Causa prima est totalis & efficiens prima: quia non est alia prima: & causa secunda est similiter totalis efficiens secunda. Sed quamvis aliqui Authores huius sententiae dicerent causam primam & secundam agere diversis actionibus: parum contra illos haberet roboris argumentum Durandi. Facilius enim respondere possent utramque simul attingere effectum, neque sine alia esse sufficientem ad effectum ponendum. Falsumque esse non posse dari plures actiones ad eundem terminum modaliter tantum distinctum. Potest enim res eadem pluribus modis modificari, tum simul, tum successively. Et quidem accidentia Eucharistica non conservantur eadem actione, qua fuerunt producta. Conservantur enim actione creaturae, & fuerunt producta actione educativa.

30. Eodem effectus possunt esse duo fines totales  
 Secundum Durandi argumentum est huiusmodi. Ordo agentium correspondet ordini finium. Sed unius rei non possunt esse duo fines immediati & perfecti, ergo nec duo agentia. Respondeo, minorem esse evidenter falsam. Potest enim quis immediate intendere duos fines perfectos & totales, non modo ex parte effectus & actionis, quod tamen nobis sufficeret: verum etiam totales ex parte causa, ita ut quilibet illorum sufficienter moveat ad agendum; & eodem influxu qui nunc est, moveret, quamvis alij fines non moverent. Sic potest aliquis Romanam proficisci ex desiderio Urbis illius vi-

senda, & propter spem consequendi alicuius beneficii, non subordinando unum finem alteri, adeoque immediate quemlibet intendendo: atque ita volendo propter quemlibet illorum finium, ut vellet nihilominus & proficisceretur vi affectus praesentis erga unum illorum, quamvis alter deesset. Hactenus Durand. in 2. dist. 1. q. 5.

Tertium argumentum eiusdem in 2. dist. 37. quaest. 1. num. 6. sumitur ab absurdo: quia scilicet ex nostra sententia sequeretur Deum esse causam peccati. Nam, inquit, omnis defectus culpabilis imputatur agenti producenti, & habenti dominium super actum, & non ignoranti defectum. Si ergo Deus immediate causat actum peccati, cum non agat ex necessitate naturae, sed libere habens plenum dominium actus, neque ignoret defectum adiunctum, non video quin ipsi debeat ad culpam imputari, sicuti & homini, vel magis quam homini, cuius ignorantia potest eum quandoque vel totaliter excusare, vel culpam alleviare. Item quando duo sunt coniuncta inseparabiliter; quicumque sciens utrumque, eligit unum; eligit & alterum: quia etsi illud non eligeret absolute, quia maius: ex quo tamen ei coniunctum est quod vult, nec separari potest ab eo; necesse est quod utrumque velit. Sicut patet in voluntariis mixtis, cum aliquis projicit moxas in mare, ut saluetur, quas tamen secundum se non vellet projicere. Cum igitur Deus non ignoret defectum coniunctum actui: si vult unum, vult & alterum. Non operatur autem nisi sciens & volens: ergo &c.

32. Ad primam partem argumenti Respondeo negando antecedens. Ut enim defectus culpabilis imputetur agenti producenti, requiritur ulterius ut agat contra debitum. Quod Deus non facit, qui potius ex debito & officio causae primae concurrit ad actum voluntatis creaturae libere se determinantis ad peccandum, ne laedat ipsius libertatem, negando illi concursum necessarium ad liberè agendum. Ad secundam dico, Deum non eligere, neque velle per se actum peccati, sed eligere tantum & velle permittere ut creatura libere agant secundum modum & conditionem suae naturae: ita tamen ut absum prohibeat, & ab illis variis modis retrahere aut avertere conetur. Liberras vero creatura est illa, quae per se, & ex se ipsa, actum peccati eligit: ad illumque se determinando, determinat simul & applicat causam primam, habitualiter sibi quodammodo coniunctam, & paratam concurrere, ad id quod creatura eligit. Paratam, inquam, & volentem liberè concurrere ad actum peccati, non per se absolute, sed ex suppositione quod creaturae libertas ad exigat. Quam suppositionem Deus non eligit neque vult, sed orat & detestatur. Quando autem volumus aliquid inseparabiliter coniunctum cum altero, non per se & absolute, sed ex hypothese displicente: non semper volumus

32. Cur peccatum non imputetur Deo concurrenti ad actum

id quod inseparabiliter est illi coniunctum. Exempli gratia, licet velimus remissionem peccatorum inseparabiliter coniunctam cum morte Christi, non propterea volumus mortem Christi. Sicque licet Deus velit concursum suum, cum quo actus peccati & malitia culpabilis creaturae sunt coniuncta inseparabiliter: non propterea vult actum peccati, neque malitiam culpabilem: sed vult tantum non deesse officio causae primae.

33.

Deus concurrat solummodo ad materiale peccatum.

Ut autem quae diximus melius intelligantur, Nota primo, Deum concurrere ad materiale peccati, non ad formale: id est, ad entitatem actus positiui prohibiti, sed non ea ratione & eo modo, quo est moraliter malus & imputabilis operanti: quia concurrunt tantum ad actum illum, exercendo officium causae primae: non operando contra debitum, neque promouendo voluntatem creaturam ut sic agat: sed tantum non negando concursum necessarium causae secundae se libere ad illum determinanti, sine cuius concursus exhibitione non posset ipsa libere agere, praereturque naturalis suae conditionis naturam.

34.

Deus concurrat est causa partialis, licet totum producat effectum.

Nota secundò, Deum concurrere cum causis secundis, esse causam partialem; non partialitate effectus quasi totus effectus secundum se totum non sit à Deo (totum enim id quod est, creatur est, pendens à Deo immediate) sed partialitate causae, quia Deus non est sola causa, neque totalis simpliciter, sed tantum in suo genere & ordine, id est, est causa prima totalis efficiens: sed non totalis omnino, quia concurrunt etiam secunda. Neque Deus concurrunt tunc tanto conatu vel influxu, ut sufficeret solus ad ponendum effectum, sine influxu causae secundae concurrētis. Non, ex imbecillitate diuina omnipotentiae, quae sola potest quicquid facit cum causis secundis, nisi sit specialis implicantia, ut communiter dicitur esse in actibus vitalibus: estque omnino si adaequatè sumantur cum viteli attentione vel intentione in illis inclusa: & in actibus intrinsicè malis, ut odio Dei & virtutis, quos repugnat fieri à Deo solo, qui non potest esse auctor & causa specialis peccati, neque actus intrinsicè turpis & indecenti. Non, inquam, ex defectu omnipotentiae diuinae, sed ex libera ipsius voluntate, quae potest suum concursum ita contemperare, ut locum relinquat causis secundis. Sicut vir fortis potest vires suas & conatum contemperare in ferendo scamno v. g. ut locum det puero concurrenti & ferendi ex parte.

35.

Deus non potest facere creaturam à se independentem in operando: neque ad Dei libertatem pertinet.

Nota tertò, non esse imperfectionis quòd Deus non possit facere causam secundam non egentem ipsius concursu immediate ad agendum: sicut non est imperfectionis quòd nequeat facere creaturam quae non ab ipso pendeat immediate in conservari. Sed potius id esse summam perfectionis essentiae diuinae, & primi entis, à quo essentialiter & immediate pendet omne aliud ens in esse & in operari: à qua essentiali dependentia, &

indigentia, impossibile est creaturam vllam absolui.

Nota quartò, Sicut creatio vel productio est ipsa Dei essentia & potentia, ut se exercens & ponens effectum, ita concursus Dei esse essentiam & potentiam ipsam diuinam, ut se exercentem coagendo & ponendò effectum simul cum causa secunda. Et rursum quemadmodum inter creaturam & rem creaturam, nulla est actio media, ab illis distincta in re: sic inter Deum concurrentem, & effectum communem illius & causae secundae, non est vlla actio media ab illis distincta. Par enim est ratio: vel potius pars superfluitas illius actionis media, aut processus in infinitum, ut ostendemus alibi. Quod si talis actio intercederet modaliter distincta à termino, ut multi volunt, dicendum esset consequenter loquendo, Deum non tantum agere media illa actione, sed insuper iungere suam vim cum illa actione, ut cum illa & per modum totalis principij immediate attingat effectum. Nam alioqui si concedatur esse aliqua entitas, quae non sit à Deo nisi mediante alia entitate aut recula distincta, argumenta sumpta ex ratione parum momenti habent contra Durandum. Hinc sequitur concursus Dei, & causae secundae, non esse eandem actionem: quemadmodum neque est vna virtus, neque vnus vnus virtutis, sed alia est virtus diuina, & alia creata. Nec obest, quod sit vnus effectus Dei & causae secundae. Nam multorum agentium, sicut & multarum causarum diuersi generis, potest esse vnus effectus. Et actio non identificatur cum effectu, sed cum virtute agendi.

Nota quintò, non esse eundem concursus Dei ad omnia, sed diuersum ad singula, ratione & virtualiter: prout eadem virtus diuina se se exercet inadaequatè ad varios terminos. Concursus autem generalis non est, ut aliqui comminiscuntur, quos in tractatu de peccatis refutabimus, concursus quidam vagus, indifferens & indeterminatus, aut concursus in communi, quem ut talem existere implicat: sed est concursus ipse particularis & determinatus in specie, & in indiuiduo, qui dicitur generalis, prout consideratur requiri similiter ad omnia talia aliquis concursus. Imò etiam ipse concursus supernaturalis ad effectus supernaturales, est concursus generalis hoc sensu, & praeter supernaturalem non est opus alio generali, Quamquam concursus supernaturalis non est generalis alio sensu: id est, vi naturae, & communi ac generali ordini rerum debitus.

Nota sextò, non esse fortuitum concursus causae primae & secundae. Nam ex parte causae secundae exigitur summa necessitate, ut agat. Quoniam aliter non potest agere. Ex parte vero Dei datur ex summa providentia, quae ab aeterno decreuit, cooperari causis secundis, iuxta illarum exigentiam. Quod

Quod decretum, exequitur in tempore, & quidem liberè, quatenus ex decreto libero id facit, disingente præscientia, quâ novis infallibiliter quid exigant causâ necessariâ ex natura sua: quidue liberè sint actura pro libito, si nolit ipse concursum suum negare.

39. Nota septimò, concursum Dei in actu secundo esse illam Dei actionem, & cooperationem, de qua huc usque diximus: in actu vero primo esse ipsam Dei potentiam, æterno Dei decreto paratam concurrere, & velut habitualiter deinceps causis secundis, etiam liberis, ut agant connaturaliter, necessariò vel liberè, iuxta naturâ suâ conditionem. Ita ut, sicut causâ liberâ vtuntur habitibus sibi inherentes, quando volunt, & eos determinant actu ad operandum: sic vtantur Dei potentia, eamque determinent ad speciem actus ponendam, quando liberè volunt. Ut autem ambâ causâ concurrant, non est necesse vnam in alteram præuium quid immittere, sed tantum vnam alteri esse adiunctam, & simul operari. Sicut cum duo vel plures se, muscu iuvant ad ferendum pondus, aut trahendum nauigium: non est opus vnum alteri robur aut quid aliud imprimere: sed tantum vim suam conferre, & cum illo operari. Ac sicut totum pondus leuatur tunc à quolibet illorum partialiter, id est, tanquam à parte causâ totalis, & adæquata ponderi ferendo: non autem pars vna ponderis ab vna, & pars altera ab alia: similiterque totum nauigium trahitur partialiter & indiuisibiliter à quolibet funem cum alijs tenente, aut remis impellente: sic totus effectus est indiuisibiliter à causâ vtraque concurrente: non autem pars vna à Deo solo, & altera à sola creatura. Alioqui daretur aliquid quod non esset immediatè à Deo. Neque esset ratio, cur altera pars effectus non possit esse pariter sine dependentia immediatâ à Deo. Quare non est verum, quod aliqui dicunt, concursum Dei generalem terminari tantum ad rationem communem entis, quæ est in effectu. Concursum vero verò specialem causâ secundæ terminari ad talem speciem entis. Verum tamen est non omnem denominationem quæ tribuitur effectui, sumi à Deo, aut tribui illi respectu Dei. Nam v. g. nostri actus vitales, non sunt vitales Deo, neque respectu illius habent denominationem vitalem: & actus nobis imputabiles ad poenam, non dicuntur tales respectu Dei, quasi ipsi quoque imputabiles sint. Tota tamen illa entitas, & omnis ratio realis intrinseca effectui qui sic denominatur, est à Deo immediatè concurrente cum causâ secunda. Quia quicquid verè & realiter existit extra Deum, pendet ab illo immediatè & essentialiter, velut primo & vniuersalissimo rerum omnium principio.

Tomus I.

SECTIO IV.

Refellitur aliud cuiusdam recentioris argumentum.

40. Contra concursum Dei immediatum longam scripsit dissertationem, Author Ludouic. à Dola, recentissimus, quatuor in partes diuisam. Cuius tres priores partes hoc vnum continent argumentum, fusissimè explicatum: Vel Deus non coniungit concursum suum proximo, & immediatè ad eandem numero actionem cum humana voluntate: vel si coniungit, necesse est cum id facere alterutro ex his duobus modis: videlicet, vel iuxta modum dicendi prædeterminantium physicè: vel iuxta eum quem moderni assertores scientiæ mediæ tenuerunt. Sed neque Deus id potest facere iuxta modum dicendi prædeterminantium physicè, quia sic destrueret libertatem, & esset peccati Author. Neque etiam secundum modum dicendi assertorum scientiæ mediæ. Quia quia modus iste dicendi est intelligibilis, impossibilis ac repugnans, vt pote qui scientiæ mediæ assignet obiectum impossibile ac repugnans. Tunc etiam quia libertati humanæ præiudicat, non minus, quàm prædeterminatio physica. Cum de necessitate includat decretum Dei posituum, absolutum, & effectum, concurrendi cerò ac peculiari concursu ad actiones hominum liberis. Quod decretum se habet antecedenter ad operationem voluntatis: & eo posito, non potest voluntas non operari. Ergo Deus non concurrat immediatè & proximè cum voluntate.

41. Vbi Nota primò, tamen si argumentum illud concludit tantum de voluntate: sententiam tamen illius Authoris esse, quod neque alijs causis secundis necesse sit concursus Dei proximus & immediatus. Secundo, passim ipsum supponere actionem esse aliquid distinctum à parte rei ab agente & ab effectu: & concursum Dei immediatum debere esse eandem numero actionem, quæ sit simul & indiuisibiliter à Deo, & à causâ secunda. Quæ opinio licet multorum sit, nobis tamen non placet, qui verius esse censemus cum D. Thomâ 1. p. quest. 25. art. 2. ad 2. actionem Dei non esse aliud ab eius potentia: & similiter in creaturis actionem esse ipsummet agens, prout vim suam exercet in effectum, quem ponit. Exercet autem per se immediatè, & non per aliquid distinctum in re, medium inter agens & effectum. Quod medium cum non sit à seipso, deberet esse ab agente. Et sic agens deberet ipsum agere, suamque vim circa ipsum exercere. Vel ergo per aliud, vel per se immediatè. Si primò: absurdum in infinitum: quia de illo redibit questio, & sic deinceps. Si secundò, idem dici debuit ac potuit de effectu, quod de medio illo asseritur: ipsum scilicet pendere &

GGG

Concursus Dei productum totum effectum indiuisibiliter.

D. Thomâ Actio est in agente

produci immediate ab agente. Fundamentum autem contrarium sentientium, peti-  
tum ex diversis modis quibus res eadem produ-  
ci potest à diversis agentibus, resurabitur in 3. parte disputando de modo unionis  
hypostaticæ.

Tom. 4.  
disp. 5. sect.

42.

His prænotatis, concedo Maiorem argu-  
menti propositi: & nego minorem, qua parte nos attingit: id est, qua parte attingit as-  
serere scientiæ mediæ possentes Dei concu-  
rsum immediatum non identificatum  
cum actione creaturæ, sed realiter ab ea di-  
stinctum, simultaneum tamen & concomi-  
tantem. Et ad primam eius confirmatio-  
nem Respondeo, obiectum illius scientiæ  
mediæ esse, quod voluntas creata, si ponatur  
in talibus circumstantiis, & Deus non  
velit deesse muneris causæ primæ, id est,  
velit cooperari; operabitur, & ponet hunc  
aut illum numero actum, si Deus conco-  
mitanter ad hunc aut illum numero actum  
dixerit suum concursum. Quod obiectum  
nullam inuoluit repugnantiam aut  
contradictionem. Ad secundam dico,

Quale sit  
Dei decre-  
tum concu-  
rendi  
cum causa  
liberæ

Deum non habere aliud decretum concu-  
rendi cum voluntate liberæ operaturæ, quàm  
conditionatum, operandi cum illa si ve-  
lit. Quod decretum sufficit ut vi illius  
omnipotentia divina cooperetur creaturæ li-  
beræ, quando potestur conditio, id est,  
quando libertas creata vult operari. Qua-  
re, nego præcedere decretum Dei positum  
absolutum & efficax, concurrentem, quo posito vo-  
luntas non possit non operari: & dico suffi-  
cere decretum, quo Deus ponit suam  
potentiam concurrentem velut in manu vo-  
luntatis creaturæ habitualiter, vt ea vult  
si velit, ad eum modum quo vultur habi-  
tibus naturalibus sibi inhærentibus. Po-  
test enim ac nouit Deus simili quodam  
modo adiungere suam potentiam volunta-  
ti creaturæ. Ita vt nihilominus ipsa maneat  
domina sui actus, & operetur aut non  
operetur vt voluerit: ac dominium actus  
non sit penes potentiam concurrerendi, si-  
cut non est penes habitum; sed sit penes  
ipsam voluntatem, quæ operatur si velit.

Deus concu-  
rre cum  
causa liberæ,  
quia  
ipsa vult  
operari,  
& per mo-  
dum habi-  
tatis.

Ac quemadmodum verè dici potest, vo-  
luntas operatur quia vult; & habitus cum  
illa concurrit, quia ipsa vult operari: ita  
verè dici potest, Deus concurrit cum vo-  
luntate, quia ipsa vult operari. Sicet  
tamen quando dicimus voluntatem opera-  
ri quia vult, particula, quia vult, non si-  
gnificat volitionem præuiam ipsius opera-  
tionis: sed tantum significat virtualem re-  
flexionem actus in seipsum, & actum il-  
lum procedere ex dominio voluntatis: ita  
cum dicimus Deum concurrere, quia vo-  
luntas vult: particula illa, quia voluntas  
vult, non significat actum voluntatis esse  
præuium creaturæ diuino, sed tantum  
significat esse penes voluntatem dominium  
actus, & potentiam vtendi concursu, ac  
potentia diuina habitualiter sibi assisten-  
te.

Itaque decretum diuinum applicans po-  
tentiam concurrentem arbitrio libero crea-  
to, in actu primo, non est absolutum  
neque inseparabile ab operatione volunta-  
tis creaturæ, ita vt eo posito non possit non  
operari: sed est eatenus conditionatum,  
quia dumtaxat est voluntas concurrenti si  
voluntas creata vult operari, & quia vult  
operari. Notandum tamen hanc conditio-  
nem non esse purificandam antequam Deus  
re ipsa concurrat, quasi prius sit voluntatem  
operari, quàm Deum concurrere: hoc enim  
est impossibile. Sed est explicanda eodem  
modo, quo ista: *Voluntas libera posita omni-  
bus ad agendum prærequisitis operatur, si vult;*  
quæ conditio non debet purificari prius  
quàm voluntas actu operetur: quasi prius  
sit voluntatem velle, quàm operari; &  
volitio sit aliquid præuium ad operatio-  
nem. Operatio enim est ipsamet volitio,  
& voluntas operatur formaliter, volen-  
do. Sed sensus est, Voluntas est domina  
sui actus: & ideo si vult, operatur: quia  
operari si vult, nihil est aliud quàm operari  
ex pleno dominio in suam operatio-  
nem. Deique sicet habitus aptus concu-  
rere cum voluntate, suspensus manet,  
& subiectus dominio voluntatis circa suam  
operationem, neque aliter cum illa concu-  
rre quàm quia ipsa ex pleno dominio  
vult operari, ita vt dominium actus non  
sit penes habitum, sed penes voluntatem  
sua Dei potentia, vi sui decreti, suspen-  
sa manet quoad concursum, & accommo-  
data naturali dominio liberæ voluntatis  
creaturæ, circa suam operationem: neque  
aliter cum illa concurrit, quàm quia ipsa  
vult liberè operari, & ex pleno dominio  
vti sua volendi facultate, & potentia Dei  
parata ad concurrendum, aliisque omni-  
bus prærequisitis ad agendum: ita vt do-  
minium actus sit penes voluntatem, non  
autem penes Dei potentiam paratam ad  
concurrendum, nec penes alia ad agen-  
dum prærequisita, constituenta volunta-  
tem in actu primo completo. Aduersus  
vtrumque responsum multa opponit Re-  
centior ille, quæ sequentibus sectionibus  
examinanda sunt.

SECTIO V.

Soluitur instantia eiusdem Recentioris  
contra obiectum scientiæ mediæ di-  
gentis concursum Dei.

Contra primam partem responsi à nobis  
dati, de obiecto scientiæ conditionatæ  
dirigentis concursum diuinum, opponit  
Author ille parte 2. cap. 3. n. 1. Si propositio  
conditionatæ, quæ est obiectum illius scien-  
tiæ mediæ, hunc sensum habeat, si Petrus in  
tali serum ordine constitutur & ego velim  
Dei?

proxime & immediate concurrere cum illo ad actum amoris, ipse amabit: talis propositio est omnino necessaria: quia perinde est ac si quis diceret: Si Petrus in tali ordine constituitur, & ego velim concurrere cum illo concursu prædeterminante ad amandum, aut concursu identificato cum actu amoris, ipse amabit. Ad cuius propositionis cognitionem sufficit scientia simplicis intelligentiæ, quam etiam quilibet Angelus aut homo potest cognoscere. Impossibile enim est poni concursum immediatum Dei, siue prædeterminantem, siue non prædeterminantem; sed duntaxat identificatum; quin eo ipso ponatur actio creaturæ, quæ ex concursu prædeterminante necessario sequitur, aut cum qua concursus Dei est omnino identificatus.

Soluitur  
primò in  
stantia.

Respondeo sensum illius propositionis huic esse: Si Petrus in tali rerum ordine constituitur, & ego sim paratus ad concurrendum proxime & immediate, prout ipse voluerit, eliciet actum amoris. Quæ propositio non est necessaria, neque ad illam sufficit scientia naturalis & necessaria simplicis intelligentiæ. Estque manifestum id non posse naturaliter cognosci certo, & infallibiliter ab homine, vel ab Angelo. Est enim propositio de futuro contingenti ad utrumlibet, & singulari, quod Petrus in tali rerum ordine constituitur, & habens paratum Dei concursum, ad operandum si velit, sit respectu voluntatis, & liberè operaturus actum amoris Dei, quem potest non elicere positus & stantibus omnibus illis circumstantiis antecedentibus.

Sed instat num. 2. illam propositionem iuxta hunc sensum non posse esse obiectum ullius scientiæ diuinæ, quæ ad operandum dirigatur, si verum est ad quamlibet operationem creatæ voluntatis requiritur concursus Dei identificatum & simultaneum. Ratio est, inquit, quia scientia diuina, quæ Deus dirigitur ad operandum, debet esse de obiecto vero, possibili, & infallibili. Atqui falsum & impossibile est, quod Deus explorare, consulere, expectare possit creatam voluntatem, ut præuidens quid illa sit operatura sub quacunque conditione & occasione, antecedente concursum Dei, ex illa præuisione moueatur ad decernendum determinandumque concursum suum: scilicet ut illum præbeat in hac potius, quam in illa specie: v. g. ad amorem potius, quam ad odium. Cum enim sententia aduersus istorum supponat creatam voluntatem esse omnino impotentem ad operandum absque concursu Dei identificato & simultaneo; sequitur eam præuideri non posse, ut aliquid facientem, per quod à Deo exigat hunc potius, quam illum concursum.

46.  
Repellitur  
secunda.

Respondeo primò, non requiri iuxta nos concursum Dei indistinctum ab actione creatæ voluntatis, sed duntaxat concomitantem & simultaneum. Secundo, licet, ut multi volunt, concursus Dei esset indistin-

ctus ab actione creatæ voluntatis; hoc argumentum contra illos nihil proficeret. Quid enim sit de identitate vel distinctione concursus Dei, & actionis creaturæ, non volumus Deum explorare, neque consulere, neque expectare creatam voluntatem, ut præuidens quid illa sit operatura sub quacunque conditione & occasione antecedente ad concursum Dei, ex illa præuisione moueatur ad decernendum absolute determinandumque concursum suum, ut male Author iste imaginatur: Sed dicimus Deum nullo negotio, per infinitam perspicacitatem suæ intelligentiæ, præscire conditionale quid voluntas creatæ sit operatura sub quacunque conditione & occasione, concomitante suo concursu, si velit eum non negare. Et ex illa præuisione moueri sufficenter ad illum præstandum eo instanti, quo creatura, de facto posita in tali occasione, operari vult. Non prius decernendo absolute & determinando concurrere: sed conditionate tantum volendo concurrere, si voluntas creatæ velit operari, & in ea specie actus, quæ volet ipsa operari, modò Deus illi officium primæ causæ non denegat; & ad hunc numero actum in tali specie, in qua volet operari. Dico itaque, in nostra sententia non posse quidem præuideri à Deo creatam voluntatem ut aliquid facientem, aut facturam, sine Dei concursu, per quod à Deo exigat hunc potius, quam illum concursum: quod imbecillitò Author iste necessarium esse putat; & nunquam bene probat, sed posse præuideri operaturam cum Dei concursu, si Deus velit illum habere paratum ad actum, ad quem poterit liberè eo uti, & suam omnipotentiam habitualiter illi adiungere, ut eam utatur quando liberè volet, sicut habitibus utimur quando volumus.

Urget num. 3. quia licet, inquit, singamus Petrum in hac aut illa occasione constitutum, & hac aut illa cogitatione, & propositione obiecti instructum, & Deum paratum ad cooperandum, offerentemque illi multos concursus; quando tamen Deus nullum in particulari determinauerit, non potest esse verum quod Petrus in eo statu constitutus sit amaturus, aut odio habiturus. Quia non potest esse in particulari amaturus v. g. quin eo ipso iam sit habiturus concursum Dei particularem ad amandum. Sed nondum est verum quod ipse sit habiturus concursum ad amandum: quia, per te, Deus nondum statuit de illo particulari concursu, sed adhuc quasi suspensus manet, expectans exigentiam voluntatis creatæ. Ergo nullus particularis concursus pro illo statu intelligitur adhuc esse futurus: sed omnes intelliguntur ut possibiles, adhuc tamen indeterminati, & indifferentes ad essendum, aut non essendum, prout creatæ voluntas elegerit habere illos aut non habere. Ergo ut Deus determinet & statuatur hunc aut illum concursum exhiberi, non potest dirigi per scientiam, quæ scrutetur & exploret quæ

47.  
Tertia in  
stantia.

actum voluntas sit elicitora prius ratione, quam concursus Dei indistinctus ab illo actu intelligatur esse futurus. Quia obiectum istius scientiæ nondum est verum. Actus enim voluntatis nondum est elicendus, seu quod eodem recidit, nondum est futurus ab eo, donec concursus Dei ab actu indistinctus, sit etiam à Deo conferendus, seu quod idem est, futurus. At pro illo signo rationis nondum est futurus, seu determinatus ad futuritionem, sed solum postquam Deus decrevit illum fore: quia per huiusmodi decretum extrahetur à statu possibilitatis & indifferentiæ ad statum determinatum futuritionis & existentiae, in certa quâdam differentia temporis accipienda. Deus autem, per te, non degeret ut concursus iste sit futurus, donec videat voluntatem creatam esse amaturam, v. g. At nunquam potest esse verum, quod creata voluntas sit amatura, quin iam eo ipso verum sit, concursum ab illo amore indistinctum esse futurum: quia idem est concursum ad actum amoris, & actum ipsum amoris esse futurum. Ergo Deus non potest videre vnum esse futurum, prius quam alium.

48. Respondeo Petrum constitutum in hac  
Ad certam  
instatiam. aut illa occasione, & habentem potentiam Dei habitualiter sibi assistentem & paratam ad concurrendum, esse amaturum conditionate, si Deus velit non negare illi concursum ad amorem. Et vi decreti conditionati, quo Deus statuit cooperari ad amandum si velit, fore ut, quando voluit, Deus cum illo concurrat particulari & determinato concursu ad amandum. Quare iam verum est, quod sit habiturus concursum Dei particularem ad amandum. Quia licet Deus non statuerit absolute de vno particulari concursu, sed expectet quid voluntas creata sit factura: decrevit tamen conditionate concurrere cum creatura concursu particulari ad actum amoris, si velit, vel ad actum odij, vel ad alium quem prouidetur elicitorum si Deus ei concursum non denegat. Prouidetur autem elicitorum esse actum amoris, si Deus illi non desit, ut supponimus. Quare vi illius decreti intelligitur iam esse futurus ille particularis concursus, quando ponitur conditio, id est, quando creatura volet amare. Ac sicut actus ille creaturae non est amplius possibilis dumtaxat, sed re ipsa facturus: ita concursus ille particularis non modo est possibilis, sed etiam futurus. Licet autem actus creaturae voluntatis non sit prius futurus absolute, quam sit futurus absolute Dei concursus: neg; etiam prius conditionate sit futurus vnum, quam alius: uterque tamen simul praescitur esse futurus conditionate, ratione prius quam uterque aut alterius prouidetur esse futurus absolute. Neque ut actus creaturae voluntatis praescitur esse futurus suo conditionate, si Deus velit cooperari, opus est Deum ratione prius decreuisse absolute concur-

rere ad illum actum. Imò ne quidem opus est ratione prius decreuisse conditionate concurrere, id est, creatura velit actum illum elicere: sed ille scientia est prior ratione subsistendi consequentia, atque indomendens ab utroque decreto. Postestque Deo inferuire ad prudenter formandum decretum conditionatum de concurrendo cum creatura particulariter ad actum amoris, si creatura volet illum operari, quemadmodum per scientiam illam mediam prouidetur esse volitura & operatura, si Deus velit concurrere.

Opponit prererea eodem cap. num. 6. non esse aliud, sed plane idem numero, decretum Dei concurrendi, quod prius intelligitur suspensum per conditionem, dum dicitur: *si Petrus in tali occasione constitueret, & ego haberem decretum concurrendi cum illo*; Et illud quod postea format Deus absolute, & absque illa conditione, eâ iam posita & purgata, id est, facto decreto constituendi Petrum, ac permittendi ut constituatur in eadem occasione, dum dicit, *Decerno me concursurum*. Sicut enim idem numero Petrus, eadem ancilla, eadem interrogatio vnius, & negatio alterius, exprimitur in propositione conditionali, & in absoluta, quarum illa conditionaliter sic exprimitur: *si Petrus interrogetur ab ancilla, negabit: hæc vero absolute, &c; Petrus ab ancilla interrogabitur; & negabit; vel, interrogatus negat; vel, interrogatus negabit*. Ita idem omnino decretum Dei concurrendi exprimitur primum in propositione conditionali, dum dicitur: *si habero decretum concurrendi cum Petro*: & postea absoluitur ab omni conditione, & ponitur in ordine absoluto, in hunc modum: *Decerno me concursurum cum Petro in tali occasione constituto*. Sed impossibile est Deum formare decretum illud absolute saluâ libertate Petri: ergo propositio illa conditionalis, quam volunt aduersarij esse obiectum scientiæ mediæ dirigentis concursum, *si Petrus in tali occasione constitueretur, & ego haberem decretum concurrendi cum illo, negaret*, est de obiecto impossibili. Ergo secundum illam non potest Deus formare decretum conditionatum, pendens à conditione impossibili, & inutile ad dirigendam providentiam diuinam.

Respondeo male supponi ab aduersario Deum formare duplex decretum: vnum conditionatum, & alterum absolute. Est enim vnicum decretum conditionatum, concurrendi scilicet si Petrus voluerit, & prout voluerit. Quod decretum sufficit, ut quando vult Petrus, Deus cum illo concurrat, quia ipse vult: non aliter tunc decernendo, quam antea: sed tantum exequendo, cum purificatur conditio, id quod per decretum conditionatum statuerat. Cognitio autem, quam Deus habuit ab æterno circa obiectum de quo loquimur, fuit huiusmodi: Si Petrus ponatur in talibus

circumstantijs, vobis negare Christum, si per meminerit, id est, dummodo velim cum ipso concurrere...

sive identificatum, vt cepimus ostendere, & magis ostendemus sectionibus sequentibus. Ait tertio, non posse ostendi ex quo capite...

Ait quarto, hanc sententiam admittere Deum non aliter quam mediate producere eam ipsam actionem, quae a creatura elicitur...

Ait quinto, si effectus verè producitur à creatura per vnam actionem, frustra adicitur alia actio à solo Deo profecta...

Actio Dei distincta non est...

31. Concursus Dei non identificatur actioni creaturae. Carera qua habet eodem capite sunt repetitiones superiorum, quibus Author iste abundat...

32. Soluuntur instantiae contrariae. Ait secundo, hunc dicendi modum non evitare argumenta à se facta contra concursum identificatum...

Ait denique vel Deum consulta voluntate creata decernere concursum illum distinctum: vel eam non consultam...

exhibere. Sed hoc argumentum saepius repetitur contra concursum identificatum, supra solum esse num. 42.

## SECTIO VI.

Refutantur alia instantia eiusdem Authoris contra decretum concurrenti.

54.  
Decretum  
concurrenti  
non est  
absolutum.

Suar.

Lessius.

55.

Contra alteram partem responsi à nobis dati sect. 4. num. 43. id est, contra id quod diximus, decretum Dei de concurrenti non esse absolutum, opponit Author ille parte 2. cap. 12. num. 2. aliquos ex assertoribus scientiæ mediæ docere oppositum: et atque Theophilum Raynaudum, Didacum Ruis, Suarez, & Lessium. Sed quos postremos non fideliter citat: quippe qui disertè contrarium docent: Suar. quidem in Opuscul. lib. I. de absoluta scientiâ futurorum contingentium cap. 6. & prolegom. 2. de grat. cap. 8. num. 15. Lessius verò, in Opusculo de grat. cap. 4. Neque hoc contradicit Suar. (vt male Author ille sibi imaginatur) cum faceret necessarium esse, quod Deus velit in particulari concurrere hic & tunc, ad hunc aut illum actum, & non tantum ad actus voluntatis confusè & indifferenter. Hoc enim intelligit de voluntate non omnino absoluta, sed aliquo modo conditionata, & subjiciente, seu potius accommodante potentiam concurrenti naturali dominio voluntatis circa suam operationem, vt paulò ante exposuimus n. 42.

Non etiam sibi contradicit Less. cum ait Deum certissime præscire ad quam actionem voluntas sit se determinatura, si concursus suum in eius potestate posuerit: eò quod talis præscientia est necessaria ad rationem perfectæ providentiæ, quæ postulat vt Deus, quavis hypothesi facta, præsciat quid sit euenturum. Neque enim propterea necessaria est illa præscientia vt Deus prudenter decernat absoluto decreto concurrere aut non concurrere, quemadmodum ille Receptor opinatur: sed est Deo necessaria ad decretum illud, quod supra diximus, aliquo modo conditionatum: id est, ad prudenter subjiciendam, siue potius applicandam habilitatè potentiam concurrenti voluntati creatæ, ad operationes quas prævidetur esse elicitura, si Deus velit cooperari. Itaque hæc prima obiectio peccat in duobus. Primò, in eo quod quibusdam assertoribus scientiæ mediæ imponit. Secundo, quia tanquam incommodum nobis opponit, quod aliqui ex illis aliter sentierint. Quid enim nobis id obesse potest, dummodò melius sentientes sequamur? Addo licet aliqui eorum decernerent absolutum concurrenti admittent, (vt de Ruis & Raynaudo non diffitemur) sed non nisi fundatur in vñ scientiæ mediæ, non inde sequeretur quod intendit Aduersarius, euersum iri scilicet

liberum arbitrium creatæ voluntatis, per antecedentem necessitatem operandi illi impossitam independentem ab eius consensu & operatione, vt ostendimus alibi disputando de prædefinitionibus actuum liberorum, tom. 2. disp. 8. sect. 7. Nos verò sicut prædefinitiones illas rejicimus, ita decretum absolutum concurrenti non admittimus, contendimusque sufficere conditionatum.

At, inquit, licet Authores, quibuscum res nobis cautius sibi locuti videantur, negant huiusmodi decretum absolutum: facile tamen contradictionis & inconstantiæ arguuntur. Nam plerique eorum, dum nihil sibi ab isto decreto absoluto Dei metuunt, neque vllam inde consequentiam sibi contrariam ab aduersariis esse trahendam cogitant, passim illud admittunt: vt auctores paulo ante nominati. Alij verò qui illud negant, parum coherentè, suis principijs philosophantur. Nam quomodo scientia conditionata possit esse utilis ad providentiæ diuinæ nobiscum operaturæ perfectionem, si non est utilis ad dirigendam diuinam voluntatem, in formando absoluto decreto concurrenti, non concurrenti? Quorum hæc tenus assertores scientiæ mediæ tam anxie, & itaque animi contentione ac diligentia scrutati sunt, quidnam illud esse possit, ad quod Deus attendens cognoscat & decernat exhibendum sibi nunquam esse concursus, & in certa specie & indiuiduo concursus seu actionis, potius quam ante vel post, & potius quam in vlla alia specie vel indiuiduo? Quorum alij ad ipsam determinationem creatæ voluntatis, & alij ad alia resurrerunt, nisi vt voluntas diuina per præscientiam illam directæ, & iam ad vnum determinatam, non in incertum ac temerè concursus suum iaculetur: sed potius in scopum infallibili certitudine præuisum certo & effecti decreto collimet? Hæc ille.

Quæ meo iudicio leuissima sunt ad contradictionem & inconstantiam tam doctis viris, deque Theologia tam bene meritis impingendam tantâ confidentiâ. Nam vt Theophilum & Didacum Ruis contradictionis & inconstantiæ argueret, illiusque inconstantiam, quam illis & plerisque alijs scientiæ mediæ assertoribus tribuit: debet ostendere ipsos alio loco negasse decretum illud, quod locis ab eo citatis admittunt. At hoc neque conatur facere, neque potest. Vt item eadem via iure tribueret Suari, & Lessio, debet ostendere eos alicubi admisisse, virtualiter saltem & implicite, decretum illud absolutum, quod alibi disertè negant locis ab eodem Authore & à nobis paulò ante citatis. At hoc dum facere conatur, non assequitur intentum, vt antea ostendimus. Neque sunt meliora quæ nunc addit, vt probet eos parum coherentè philosophari negando decretum absolutum. Facile enim responderetur ad primum, scientiam conditionatam esse vtilem ad providentiæ diuinæ nobiscum operaturæ perfectionem:

quia Deum dirigit ut videat, num conueniens sit potentiam suam habitualiter astringere voluntati create, ad concurrendum in his & illis circumstantiis, in quibus prauideatur operaturam esse si ipse velit concurrere: & ut id non decernat cæco modo. Itemque ut in executione concurrat suo tempore, ut illius decreti conditionati, quo ab æterno statuit concurrere, cum voluntate creata tali tempore, si voler, & quia voler operari. Hæc enim præcisatæ dirigit executionem.

38. Obiectum illius scientiæ.

Ad secundum, Dico obiectum illius scientiæ mediæ esse hanc ueritatem conditionatam, quod voluntas creata sit in his circumstantiis operatura talem speciem actus, si Deus habitualiter suam potentiam ad concurrendum illi adiungat & sit operatura hunc actum in indiuiduo, si Deus ad hunc numero actum concursum suum concomitantem direxerit. Cuius obiecti præcisatæ sufficit, ut Deus formet decretum conditionatum, quale ante descripsimus, tendens in hunc speciem & numero actum per voluntatem creatam voluerit in tali specie operari, & aliquod eius indiuiduum posse.

39. Secunda instantia.

Opponit secundo ibidem num. 3. Sicut prius ratione, imò & prius duratione, quam Deus produxerit hunc mundum; uenerunt ipsi in mentem omnes mundi possibili: ipse autem nunquam produxisset istum ad extra, si potentia exequens applicata fuisset ad operandum per voluntatem duraxat indifferentem & disunctiuam, *uolo creare hunc mundum, vel illum alium*: sed oportuit eam applicari proximè per voluntatem determinatam & absolutam, *uolo creare mundum istum, & non alium*: ita prius ratione & duratione, quam Deus producat mecum hunc actum amoris, apparuerunt in conspectu Dei omnes actus liberi, possibili a me produci hoc instanti, cum Dei concursu: sed nullum unquam de facto produceret, si potentia illius exequens applicata solum fuisset per voluntatem disunctiuam & indifferentem, *uolo producere vel actum amoris, vel actum odij, vel aliquem alium*. Igitur necesse fuit illam applicari per uolitionem absolutam ac determinatam, *uolo producere hunc actum*, si verum est actum amoris, quem produco; necessario identificari cum diuino concursu.

60. Quomodo decretum conditionatum Deo sufficiat.

Respondeo longè disparem esse rationem huius decreti, *uolo creare hunc mundum, vel illum alium*; & istius, quod proponimus, *uolo producere vel actum amoris, vel actum odij, vel aliquem alium*, ad quem creata uoluntas se determinabit, & potentiam meam, ad concurrendum sibi adiunctam habitualiter, applicabit: & si velit istum operari, sicut prauideo esse uolituram, modo non negem concursum, uolo ad illum concurrere. Prius decretum nihil habet à quo determinetur, ideoque manet semper suspensum & inefficax. Secus autem secundum. Quare ut Deus concurrat ad actum

amoris v. g. conditionatè præuisum, non eget alia uolitione absoluta & determinata: siue actus amoris producendus identificetur necessario cum diuino concursu, ut male Author iste supponit nos asserere, siue non.

61. Tertia instantia.

Opponit tertio ibidem: impossibile est Deum manere suspensum, aut negatiuè se habere circa aliquod obiectum: sed debet habere positiuum decretum circa quodcunque obiectum, ut Theologi sententur communiter. Ergo quando aliquis actus possibilis à me produci, re ipsa tamen non producit, Deus necessario habet decretum positiuum non concurrendi proximè ad illum actum, seu quod idem est non producendi illum. Ergo per istud decretum potentia exequens quasi retrahitur aut impeditur ab illo actu producendo, qui iam ex tunc determinatus est ad nunquam essendum: & ridiculum apparet fingere, quod adhuc non obstante illo decreto non producendi aliquem actum, Deus per uoluntatem indifferentem & disunctiuam producendi vel illum vel alium actum, offerat & tentus sit exhibere plures ac varios concursus identificados: scilicet unum pro actu, qui uerè futurus est, & alium pro eoque ipsa positiuè statuit se non produciturum, & qui non est amplius indifferens ad aliquod essendum aut non essendum, sed positiuo Dei decreto determinatus ad non essendum.

62. Respondeo.

Respondeo. Transcat antecedens, de quo alibi disputauimus; ostendimusque non esse utiqueque; verum: eosque qui tam uindictaliter id asserunt, fingere in Deo plurima decreta inuicilia & frivola, cæca infinita obiecta conditionata. Dico ad Consequens, decretum Dei positiuum esse duplex: unum absolutum, alterum conditionatum; & circa actus liberos creata uoluntatis qui non erunt uideo quia ipsa liberè abstinebit ab illis eliciendis; Deum antecesserit ad illam omissionem habere tantummodo decretum positiuum conditionatum, ut illi actus non sint, si creata libertas non uelit eos operari. Non autem, ut ait ille Author, positiuum decretum determinas actus illos ad non essendum. Illa enim determinatio relinquitur dominio creata libertatis: quod ut exerceatur suo tempore, necessarium est libertatem creatam habere Deum paratum ad concurrendum aut non concurrendum, prout ipsa liberè uolet aut non uolet operari: vel etiam paratum ad cõcurrendum ad aliam speciem actus, si exerceat libertatem non modo contradictionis, ut vocant, sed etiam contradictionis seu specificationis. Hoc qui ridiculum esse asserit, eruditorum lætorum risui seipsum exponit.

63. Quarta instantia.

Opponit quarto ibidem num. 4. Sicut admittunt omnes communiter in Decabolutam quandam uoluntatem conferendi gloriam D. Petro, ortam ex præuisione finalis perseverantiæ D. Petri, & distinctam ratione seu uirtualiter à uoluntate conditi-

nata inefficaci & antecedente saluandi omnes, in qua Petrus & Iudas erant pares & aequales: ita etiam dari debet in Deo voluntas absoluta dandi mihi concursum ad actum quem nunc officio, legendi, exempli causa, distincta à voluntate conditionata: quam antecedenter habebat concurrendi mecum vel ad lectionem, vel ad ambulationem, aut ad alios actus quos liberè poteram eligere. Sicut enim illæ duæ voluntates ratione distinctæ respectu D. Petri, pertinent ad perfectam rationem prædestinationis eiusdem D. Petri: ita duæ istæ voluntates respectu meæ lectionis, pertinent ad compleram rationem prouidentia generalis, cui subesse debent omnes tametsi liberæ & humanæ actiones.

64. Respondeo primò, voluntatem illam absolutam dandi gloriam D. Petro, distinctam ratione in seipsa, à voluntate antecedente conditionata dandi gloriam eidem si bene mediis salutis vteretur, non esse necessariam: sicut enim quod ponatur conditio, vt vi istius voluntatis detur gloria D. Petro, est impossibile vt non detur postea illa conditio. Dixi, distinctam ratione secundum se: quia non nego voluntatem illam conditionatam, consideratam vt talem, & vt suspensam, abstractamque à præuisione conditionis ponenda, vel ab illa iam posita, differre penes connotata, à seipsa spectata vt coniuncta tum eadem præuisione, & cum conditione iam posita in re, ac in præuisione: ratione cuius dicitur transire in absolutam, id est, nunc Deum non minus obligare, atque si ab initio absoluta fuisset: quia iam ponitur quidquid ad contrahendam obligationem perfectam necessarium erat: Tametsi propterea non varietur in seipsa. Cùmque dicunt Theologi voluntatem illam, conditionatam tantum, & inefficacem ac suspensam antecedenter, id est, ante præuisionem operum, aut boni status finalis, fieri absolutam & efficacem consequenter, id est, post illam præuisionem, ac Deum iam velle absolute & efficaciter dare gloriam D. Petro, aliique quos videret mediis bene vtiis: non intelligunt, saltem omnes, Deum habere nouum actum voluntatis distinctum à priori circa idem obiectum: sed Deum iam habere id quod ex parte creaturae requirebat, vt obligaretur vi sua prima voluntatis, ad gloriam ei conferendam: ac propter hoc teneri conferre illi gloriam.

65. Quod si Theologi explicantes ordinem instantium rationis inter actus concurrentes ad totum negotium prædestinationis, aiunt Deum præcognitis seriebus rerum possibilibus, elegisse istam, & in ea voluisse prouehere creaturas intellectuales ad gloriam per alios media, demmodo illis vterentur: deinde præuiderunt quàm essent futuri, & eo præuiso decreuissent absolute & efficaciter saluare istos, & alios reicere à salute: Hoc faciunt, non quod existiment esse

diuersos actus voluntatis, intrinsece & secundum se: sed vt facilius explicent ordinem prædestinationis per comparationem ad modum procedendi hominum, qui post voluntatem conditionatam, præuisa vel impleta conditione solent elicere alium actum voluntatis absolutum & efficacem circa obiectum antea volitum sub conditione. Sed ille nouus actus non est ponendus in Deo, quia est superfluus. Dico itaque Deum non habere quos actus voluntatis circa prædestinationes: alterum conditionatum, independentem à finali statu præuiso; & alterum absolutum, præuiso illo statu: sed eo ipso quod finalis status bonus præuidetur absolute futurus, voluntatem conditionatam transire in absolutam, modo explicato disp. 11. num. 50. & disp. 20. num. 11.

66. Respondeo secundò, differentiam esse inter voluntatem absolutam saluandi aliquem præuiso bono eius statu finali, & voluntatem absolutam concurrendi cum causa secundæ liberæ. Prior enim, qui supponit actus liberos absolute futuros bene finientis, & prædestinati quia bene operaturus est, non obest eius libertati: Quia non ponit aliquid antecedens usum libertatis, quo posito voluntas non possit non operari: sed consequenter tantum se habet, æquæ ac præscientia absoluta futurorum contingentium quæ non lædit libertatem, quia supponit & subsequitur actum liberum absolute futurum. At verò decretum absolutum concurrendi, non præsupponit saltem scientiæ conditionatam, quam impugnat Aduersarius, præiudicari libertati. Quia non supponeret actum esse libere futurum: sed esset aliquid antecedens omnino illius futuritionem, & usum voluntatis, tam conditionatæ, quam absolute futurum, quo antecedenter posito voluntas non posset non operari: adeoque non esset libera. Quare licet Deus haberet aliud decretum absolutum saluandi prædestinatos, ratione post voluntatem conditionatam eos saluandi si bene operentur: non sequeretur habere pariter decretum absolutum concurrendi, quale impugnat Aduersarius: & non posset vnum asseri sine altero, coherentem loquendo. Similiter est differentia inter voluntatem conditionatam saluandi aliquem si bene operetur, & vitam bene finiat: & inter voluntatem conditionatam concurrendi cum libertate creata si velit operari. Quia prior voluntas est vt aliquo ponendo post conditionem impletam: estque de conditione quæ necessarium præire debet, vt voluntas transeat in absolutam. At verò posterior est de conditione tantum concomitante: nihilque aliud est, quàm accommodatio quasi habitualis potentia diuina ad libertatem creatam, vt vteretur si volet, & cum volet. Ac quemadmodum quando dicitur voluntas operatura si velit, non significatur conditio præuisa, quasi voluntas debeat prius velle, quàm elicere actum quo liberè vult: sed tantum significatur dominium volun-

talibus in actum suum, quem pro libito exercet. Ita eam dicitur Deum esse concursurum si libertas creata voluerit, non significatur aliud, quam talis accommodatio causae primae cum secunda, ut in secunda potestate sit vii vel non vii Dei concursu, & dominari suo actui.

67. *Quinta instantia.*  
Opponit quintò: sequeretur Deum eodem modo se habere, quantum est ex parte voluntatis suae, cum omnibus hominibus, siue operentur, siue non operentur. Cum enim sint omnes pares & aequales in illa priori voluntate conditionata & indifferente, sanè ut ex illa paritate & aequalitate fiat aliqua separatio inter eum qui operatur vnum actum, & alium qui non operatur similem, sed oppositum, aliquid superuenire debet in illis hominibus, quo prauiſo Deus statuat absoluto & efficaci decreto cum vno concurrere ad vnum actum, & cum alio ad oppositum. Nam si nihil superuenierit, Deus eodem modo se habebit erga vtrumque, quantum est ex parte voluntatis suae, & per consequens vterque eodem modo operabitur: quia non potest esse variatio in operatione, quin Dei voluntas aliter quoque se habeat, circa vnum, quam circa alium.

68. Respondeo. Dato & non concessio, quod Deus eodem modo se habeat antecesser, quantum est ex parte voluntatis suae, cum omnibus hominibus, siue operentur, siue non operentur, siueque omnes pares & aequales in illa priori voluntate conditionata & indifferente: nego debere superuenire in illis hominibus aliquid prauiſum liberarum operationi, quo prauiſo Deus statuat absoluto & efficaci decreto concurrere cum vno ad vnum actum, & cum alio ad oppositum. Sufficit enim Deum per scientiam mediam praescire vnum illorum eliciturum esse talem actum, si ipse suum concursum non negauerit, & alium esse eliciturum oppositum: & hoc praescitò conditionaliter, Deum velle adiungere habitualiter vtriusque voluntati suam potentiam ad concurrendum, quando & quomodo volent operari, positi in illis circumstantiis, in quibus prauidetur esse operaturi, si Deus non desit officio causae primae. Hoc enim posito ipsi met ponunt inter se ipsos inaequalitatem, seu differentiam, & operantur diuersimodè quia volunt: faciuntque ut Dei voluntas antecesser aequalis & indifferens circa vtrumque, concomitanter se habeat diuersimodè, & aliter cum vno, quam cum alio operetur.

69. *Sexta instantia.*  
Opponit sextò: Deus prauiſa cooperatione voluntatis humanae, se habet positiuè erga illum actum, qui reuerà futurus est. Ergo vel in illo instanti rationis vult illum efficaciter & absolute: & hoc est, quod intendimus. Vel vult illum ineffaciter & conditionatè, sicut in primo instante volebat, & non aliter: at hoc dici non potest, quia sicut ex illa priori voluntate sola nullus ef-

fectus poterat sequi immediatè: ita neque ex ista sequeretur. Nà & ipsi aduersarij expressè fatentur voluntatem inefficacem & conditionatam concurrere, ut sic, & quamdiu talis est, nihil ponere ad extra, quia scilicet per eam non decernitur certus concursus: & sicut in illa voluntate antecedente & conditionata, Deus non tantum volebat vnum actum, sed omnes qui possibiles erant ut per voluntatem creatam fierent, non collectivè sed diuisivè, id est, vnum ex illis, vel alium: ita etiam nunc adhuc vult illos omnes. Et tamen certum est Deum nolle in hoc instante nisi vnum, scilicet illum qui reuerà futurus est. Adde quod sicut illa voluntas conditionem includebat: ita & haec includeret eandem vel aliam: & sic nunquam intelligeretur purificata & impleta conditio, quod est absurdum. Igitur diuersitas illa obiectorum sufficit, ut ratione distinguamus vnam voluntatem ab alia: & priorem quidem vocemus inefficacem & conditionatam: posteriorem verò absolutam & efficacem, praesertim cum actus immanentes non possunt modò extendi, modò restringi ad plura aut pauciora obiecta.

70. *Respondeo.*  
Respondeo Deum prauiſa cooperatione voluntatis humanae, non aliter velle intrinsecè actum illum, quam in priori signo rationis volebat: sed tantum esse differentiam penes connotatum ex: inscum prauiſionis, & obiecti ipsius, ex cuius suppositione voluntas illa consideratur iam ut cooperatura ad actum illum, ad quem Deus prauidet fore, ut ipsa se determinet, si non desit ei concursus, quem Deus statuit non denegare. Quamuis autem ex illa priori voluntate sola non possit sequi immediatè effectus, aut potius vsus concurrere; solà, inquam, id est, non posita conditione cui adigatur: scilicet tamen si illa ponitur. Nàm ut operetur, nihil aliud requiritur, & si conditio ponitur, non potest non operari. Ac verum, quidem est voluntatem inefficacem & conditionatam concurrere, ut sic praesertim sumptam, & quamdiu non purificatur conditio, non operari. Nò, ut Auctor iste imaginatur, quia per illam non decernitur certus concursus: nam decernitur conditionatè ille ipse concursus qui suo tempore exhibebitur: sed quia non ponitur conditio, quam voluntas illa requirit ut operetur. Requirit inquam, non ut aliquid prauiſum & praerequisitum, sed ut aliquid simultaneum, & concomitans, sicut exposuimus num. 43. Quia tamen Deus conditionatè tantum decernit concursum illum, qui reipsa suo tempore exhibebitur, permittitque libero dominio creature operari ut volat: falsum est Deum in instante rationis post prauiſam cooperationem voluntatis creatae, nolle nisi vnum actum, scilicet illum, qui reuerà futurus est: ita vult, neque paratus sit concurrere ad alium, si voluntas creata vellet aliter operari. Nam donec voluntas se liberè determinet, habet potentiam Dei habitualiter sibi adiunctam;

vi decreti diuini conditionati, ad concurrendum ad hunc aut illum actum, puta ad amorem vel odium, prout ipsa voluerit. Neque ex hoc sequitur voluntatem illam semper manere suspensam, & nunquam purificari & impleri conditionem, vt male obijcit aduersarius. Purificatur enim & impletur, quando voluntas creata se determinat ad hunc aut illum actum. Cùmque decretum illud diuinum conditionatum habeat idem obiectum, siue cognitio impletur siue non, nempe concurrendi cum voluntate creata ad talem actum, si velit illum elicere; vel ad alium; si velit ad alium se determinare: non est quòd propter diuersitatem obiectorum concipiamus Deum habere duo decreta ratione distincta: Vnum conditionatum, ante præmissionem determinationis voluntatis creatæ; & alterum absolutum, posita præmissione.

## SECTIO VII.

Resutantur eiusdem Authoris obiectiones,  
per effugium.

**P**er decreta quæ eadem Author addit in fine eiusdem capituli duodecimi, manent ex dictis soluta. Capite vero decimo tertio impugnat id quod breuiter supra respondi- mus & fusius exponunt Lessus & Suar. ab Authore illo relati: videlicet hoc ipso quòd voluntas diuina decreuit vt creata voluntas habeat concursus omnes paratos in actu primo ad singulas operationes, vt si ipsa hoc momento se ad hanc operationem determi- net, habeat hunc concursum: si ad illam, istum: si ad aliam, alium: & sic de cæteris: eo ipso, inquam, potentiam Dei ex vi huius decreti conditionati manere applica- tam & determinatam, veluti causam natu- ralem, ad quæuis illorum concursuum dan- dum quem quæuis operatio requirit, si causa creata ad illum se determinauerit: atque ita causam creatam liberam habere in sua po- testate quamlibet illarum operationum, & quamlibet illorum concursuum, qui singulis operationibus est decretus ex hypothesi: si- cut habitus ita conueniens est voluntati vt influens eius & concursus sit in potestate vo- luntatis. Deus enim eodem modo se accom- modat & coniungit voluntati creatæ vt il- lus decreti conditionati. Ex quo sequitur non oportere vt causa creata prius aliquid agat, quo Deum excitet ad concurrendum: quia ipsam satis determinatus est. Vt aliis exemplis declarari potest. Hoc enim ipso quòd potentia intellectiua producit intelle- ctionem, simul hæc ita concurrunt species in- telligibilis: tamen intellectus nihil circa illam speciem agit. Hoc ipso quòd voluntas cum habitu charitatis producit actum su- pernaturalem dilectionis; vel intellectus cum habitu fidei, actum fidei: eo ipso simul

influent habitus supernaturales charitatis & fidei. Simili modo cogitandum est quædam potentiam veluti habitum quendam omni- bus rebus intimè insidentem & connexam, simul in omni operatione creatorum coo- perari. Et sicut causa vniuersalis, v.g. sol, à causa particulari determinatur ad produ- cendum lilium, potius quam rosam, absque eo quòd causa particularis aliquid præuium operetur in sole, quo ipsum determinet vel excite ad concurrendum ad lilium, potius quam ad rosam: ita nec causa secunda pro- ducit aliquid præuium, quo Deum excitet aut determinet ad concurrendum potius tali concursu, quam alio. Et sicut vnus ho- mo potest alteri offerre auxilium suum in- differenter ad quodcunq; opus voluerit, quo posito, manet generali quòdam modo expositus ad iuuandum alterum: ita Deus ex vi decreti illius conditionati manet generali quòdam modo expositus, & paratus ad præ- standum nobis concursum illum quem nos- tra operatio requirit. Et sicut dum quis alteri rem aliquam sub conditione donat, eo ipso quòd impletur conditio, res sit alte- rius: non modo absque nouo actu volunta- tis donantis, sed etiam absque eo quòd do- nans conditionis impletionem aduertat: ita concursus Dei determinatur à voluntate creata, absque eo quòd ad id requiratur aliud decretum absolutum, aut alia cog- nitio vel præscientia Dei, præter scientiam mediam, quæ nouit voluntatem esse tali- ter operaturam si ipse velit cum illa con- currere.

Contra hoc, inquam, obijcit primo, præ- ter voluntatem disunctiuam concurrendi sic aut aliter, requiri cognitionem qua Deus dirigatur ad discernendum absolute con- currere vno modo potius, quam opposito. *Secundo*, sicut potentia nostra progressiua non esset sufficienter applicata à volunta- te nostra ad ambulandum, per volitionem indifferentem & disunctiuam ambulandi ad dextram vel ad sinistram: sed oportet eam, priusquam ambulet, applicari per vo- luntatem determinatam deambulandi ad dextram: ita Dei potentiam non posse suffi- cienter applicari per voluntatem Dei dis- iunctiuam, sed oportere omnino ponere volun- tatem absolutam & determinatam concurrendi aliquo certo & determinato concursu. *Tertio*, diuinam omnipotentiam, prout ra- tione distinguitur à voluntate Dei, non esse formaliter liberam, sed debere applicari ad operandum per decretum & scientiam Dei practicam. Non potest autem applicari pro- ximè per voluntatem disunctiuam ad ope- randum aliquem actum singularem & de- terminatum: quia voluntas illa nihil aliud imperat aut decernit, nisi disunctiuè amo- rem vel odium: & nunquam determinatè amorem, nec determinatè odium.

Ad primum, Respondeo requiri quidem scientiam mediam, quæ Deus nouit quomo- do voluntas sit operatura in talibus circum-

Per decre-  
tum condi-  
tionatum  
potentia  
Dei est  
tata libe-  
ratur ad  
concurr-  
endum cum  
creatura li-  
bera, prout  
ipsa volet.

Prima ob-  
iectio

73.  
Dicitur

stantis, si concursus Dei paratum habeat: idque Lessum & Suarem non negare, sed pluribus locis expressè docere: & hanc scientiam dirigere Deum, tum ad prudenter discernendum ab aeterno, num expediat formare decretum conditionatum de concursu praestando, deque sua omnipotentia per modum habitus adiungenda voluntati creatae: tum ad exhibendum concursum eo instanti quo praevidet voluntatem esse operaturam, si velit ipse concurrere. Sed non, ut infirmiter iste Author, ad discernendum absolute concurrere vno modo potius, quam opposito. Quod decretum inutile foret & superfluum: cum non possit non concurrere, vi decreti conditionati, posita conditione.

74. Ad secundum, nego paritatem. Nam voluntas illa distinctiva circa deambulationem, non apponit conditionem de futuro, qua determinetur: & quamvis apponeret, non est sufficiens ut moveat physice potentiam ad ambulandum, quando postea ambulat: sed eget alio actu efficaci voluntatis, ut in nobis experimur. At voluntas Dei, de qua disputamus, apponit conditionem, quae cum impletur, Deus determinat, exhibet concursum ad actum, ad quem voluntas se determinat: & non eget nouo actu voluntatis suae, qui incipias esse & efficaciter mouere potentiam: eo tempore quo potentia concurret cum creatura: sicut enim voluntas absoluta creandi mundum, quam Deus habuit ab aeterno, non eguit nouo actu voluntatis mouente efficaciter potentiam creandi, eo tempore quo creauit: sed vi aeterni illius decreti omnipotentia operata est eo instanti, quo Deus ab aeterno decreuerat operari: Sic decretum conditionatum de concurrente tali modo, postulat tantum ut ponatur conditio, & non eget nouo actu efficaci, quo tunc potentia applicetur ad concurrendum. Fuit enim ab aeterno sufficienter applicata ad tunc operandum tali modo, si poneretur talis conditio.

75. Ad tertium, Respondeo potentiam applicari proximè & sufficienter ad illum actum per scientiam mediam, & decretum voluntatis conditionatum, modo purificetur conditio praesens. Ad probationem eidem argumento subiunctam, dico voluntatem diuinam imperare aut decernere determinatè concursum ad amorem, & vel determinatè ad odium, non absolute, ut Author iste intendit & non probat: sed conditionatè: ad amorem, si voluntas ad illum se determinet: ad odium, si voluntas ad illum se determinet. Quae conditio quando ponitur, Deus vi decreti conditionati de concurrente ad amorem si voluntas creata amare velit, habet potentiam exequentem applicatam & determinatam ad taliter concurrendum. Quare non debet applicari per aliam voluntatem absolutam & determinatam, ut Author iste probandum susceperat, & non satis efficaciter probat.

76. Secundò, idem auctor conatur eludere

vim exemplorum, quae in doctrina, quam impugnat, declarationem & confirmationem adduximus num. 71. Et primum quidem exemplum, de potentia Dei comparata cum habitu quo voluntas vultur quando vult, ait esse longè dissimile, & deficere in duobus. Primò, quia quaestio nobis est de actu, qui oriatur à duabus causis efficientibus liberis. At habitus non est causa libera. Secundò, quia si loquamur de concursu in actu primo, id est, de potentia parata ad concurrendum, Dei potentia non est aliquid inherens voluntati nostrae, neque potest ab illa physice determinari & trahi ad operandum, sicut habitus: sed solum potest subordinari voluntati creatae moraliter, quatenus potest Deus aliquid in ea intueri, quo inducatur ad aliquid operandum. Itaque necesse est ut voluntas operetur aliquid, quod Deus praevideat, & quo inducatur ad hoc potius, quam ad oppositum. Si quidem impossibile est ut persona aliqua prudenter & per rationem agens, ac non temerè, contemniatur subordinari moraliter alteri, seu, quod idem est, accommodare se alteri propter aliquod motiuum & rationem: quin prius intelligatur cognoscere motiuum illud & rationem. Quia non est aliud moveri propter aliquam rationem, aut operari ex aliquo motiuo, quam induci exognitione & acceptatione talis rationis & motiui. Caetera quae addit de concursu Dei in actu secundo comparato cum habitu, sunt extra rem, & contra intentionem ventium exemplo allato.

77. Respondeo primò, hoc exemplum disiectè affari ad ostendendum posse duas causas concurrere simul ad eundem effectum, absque eo quòd vna prius agat aliquid, quo alteram moveat ad concurrendum, siue illam intrinsecè efficiendo, siue aliter. Hoc autem videnter probatur exemplo allato de habitibus, & speciebus in premissis, cum intellectu & voluntate concurrentibus. Secundò, ad hoc esse impertinens quòd habitus non sit causa libera. Nam etiam Dei potentia concurrens, formaliter sumpta & praesens, non est causa libera, ut idem Author agnouit paulò ante. Et quantumvis esset, si sciret Deum scire posse illam applicare, voluntati quasi habitualiter, & habere paratam ad concurrendum in modum habitus, quo vtimur, si volumus. Tertio, esse quoque impertinens quòd habitus inhereret voluntati creatae, & potentia Dei non inhereret: quòdque ille physice subordinetur voluntati, ista non possit subordinari nisi moraliter. Perinde enim est, summodò sic illi subordinetur, ut non minus illa utatur quando vult, absque prauidicio suae libertatis, atque vultur habitibus sibi inherens & naturaliter subiectis. Quarto, quòd Deus per decretum conditionatum moraliter subordinet voluntati creatae suam potentiam ad concurrendum, non esse opus ut aliquid prius ab ea factum intueatur, quo inducatur

Primum  
effugium  
refutatur

ad concurrendum: sed sufficere quod per scientiam mediam cognoscat voluntatem creatam esse operaturam hoc instanti & hoc modo, si ipse non grauetur concursum suum illi prestare. Hoc enim sufficit, ut Deus formet hoc decretum: volo concurrere tali tempore, & in talibus circumstantiis, cum tali voluntate ad actum amoris, & ad hunc numero actum, si voluerit ipsa se eo tempore & in illis circumstantiis determinare ad amandum, sicut prævidetur esse voluntatem. Posito autem hoc decreto, ac vi illius iuncti cum præscientia, non potest Deus non concurrere cum voluntate creatæ, quando se ipsa determinabit ad amandum.

78.

Secundum  
effugium.

Ad secundum exemplum de sole concurrente cum lilio, respondet illud deficere in trilis. Primo, in eo quod sol & lilius non coniunguntur ad eandem numero actionem. Secundo, in eo quod sol non est expositus ad agendum modo quodam indifferente, ita ut sit quasi suspensus & expectans influxum lili: sed antequam lilius quidquam influat, si agit quantum potest. Tertio, actiones lili & solis sunt necessariae. Nos autem quarimus modum, quo Deus concurrat nobiscum ipsa, ut non præiudicet nostræ libertati.

Ad quartum dico, Primum quod ait, solem & lilius non coniungi ad eandem numero actionem, non esse verum in ipsius sententia, & aliorum omnium, qui cum ipso putant actionem distingui ab agente, & quando plura agentia concurrunt simul ad eundem effectum, concurrere per eandem numero actionem, & quidem talem, ut indivisibiliter ab omnibus illis pendeat essentialiter: & qualibet causarum variata, varietur ipsa: sitque prorsus impossibile ab alio quam ab his numero causis pendere. Quod iste Author pluribus locis suæ disputationis affirmat, ut p. 4. cap. 10. n. 34. §. *Deinde videtur*. In sententia vero opposita, quam cum D. Thoma & multis aliis sequimur, affirmare actionem esse ipsam virtutem agentis, quæ per se immediate agit, & ponit effectum, verum est solem & lilius non coniungi ad eandem numero actionem, sed ad eundem effectum, quando simul producunt dispositiones ad formam lili prærequisitas: At neque etiam voluntas creatæ & Dei potentia coniunguntur ad eandem actionem sed actionibus diversis concurrunt ad eundem actum seu effectum, & indivisibiliter & totaliter ab utraque pendente. Ad alia duo quæ addit, solem non esse suspensum, & actiones solis & lili esse necessarias, dico ut supra, id nihil referre, dummodo Deus, qui est causa libera, potestque suam potentiam suspendere & applicare, ut vult, sic eam applicet habitualiter voluntati creatæ, ut ipsa possit ea vri, absque eo quod prius aliquid agat quo Deum excitet ad concurrendum, sicut lili nihil prius agit, quo solem excitet ad influendum in eundem effectum.

79.

Ad tertium exemplum respondet: ut quo

homines, Ex. gr. Petrus & Paulus ad eandem actionem concurrant, non casu & fortuito, sed ex proposito & ex certa scientia, ita ut actio sit utriusque libera: vel Petrus à Paulo debet determinari, & quasi trahi vel impelli ad actionem: vel debet ipse aliquid per se ipsum posse, quo significet Paulo se pro tali vel tali actione auxilio illius indigere. Ergo si impossibile esset Petrum quidquam per se sine Paulo efficere, Paulus nihil posset cognoscere ut futurum ex determinatione Petri, prius ratione quam statuisset illum se vel sic adiuvare.

Ad quod dico, si Petrus posset infallibiliter per scientiam mediam Paulum esse operaturum tali instanti, si eodem instanti velit ipsum iuvare: sufficeret illa præscientia ut Petrus ad eundem effectum, concurreret, non casu & fortuito, sed ex proposito, & ex certa scientia, ita ut actio esset utriusque libera. Sufficeret enim illa præscientia ut Petrus determinaret, vel dirigeret, ad agendum eodem instanti quo Paulus ageret. Neque impediret quod minus libere vellet agere: sed illius voluntati libera sese accommodaret, cooperando illi si operari vult. Quare non esset necesse Paulum aliquid prius agere sine concursu Petri, & per hoc movere Petrum ad concurrendum, illi significando se pro tali vel tali actione indigere illius concursu. Deus autem præscit certissime & infallibiliter quicquid creatura qualibet operatura sit in quibuscuque circumstantiis, si in illis ponatur, & ipse velit non negare concursum necessarium. Quare non eget aliquo alio quod creatura sola vi sua præagat, quoniam Deo significet se pro tali vel tali actione concurrere illius indigere.

Ad ultimum exemplum respondet, non esse verum si donatio conditionata transeat in absolutam impleta conditione; adeo ut non sit opus eam sub forma absoluta repetere. Quia iam posita sunt omnia, quæ requirerentur ex parte donantis, ut donatio esset absoluta: & effectus illius donationis suspendebatur tantum, donec impleta esset conditio, quam supponimus impletam esse. At in nostro casu impossibile est impleri conditionem: quia conditio erat ista: si Deus prænosceret per scientiam mediam voluntatem creatam postulantiem hunc concursum potius, quam alium, seu quod idem est, determinantem se ipsam contradictionis partem, & non aliam. Atqui iuxta sententiam Aduersariorum impossibile est ut voluntas creatæ possit se sola inclinare actionem suam & determinare se ad vnum, aut aliquid efficere quo excitet Deum ad dandum sibi hunc aut illum concursum, & consequenter Deus non potest quidquam in illa prænoscere quo exciteretur ad concurrendum. Ergo voluntas illa conditionata nunquam habebit effectum, sed effectus, qui est concursus Dei, semper remanebit suspensus per defectum conditionis, quæ nunquam implebitur.

Ad quæ

81. Ad quæ dico iam Authorem istum fa-  
 cteri voluntatem suspensam, conditionatam,  
 differentem, & disunctiuam, (qualis est  
 ista, donandi si ponatur conditio, & non  
 donandi si non ponatur.) sufficere proxime  
 ad effectum certum & determinatum,  
 dummodo ponatur conditio, per quam  
 determinatur ad vnum: quod antea idem  
 male negauerat, vt vidimus num. 9.  
 Itaque iam fatetur decretum illud condi-  
 tionatum, quod nos asserimus, sufficere  
 posse ad exhibendum concursum, dum-  
 modo possit impleri conditio, quæ suspen-  
 ditur. Sed male probat non posse im-  
 pleri ex eo quod iuxta nostram sententiam,  
 impossibile sit voluntatem creatam se sola  
 inchoare actionem suam, & determina-  
 re se ad vnum, aut aliquid efficere, quo  
 Deum exciter ad dandum sibi hunc aut  
 illum concursum. Nam conditio appo-  
 sita decreto diuino non est ista: Si volun-  
 tas creata se sola inchoet actionem suam,  
 aut sola se determinet ad vnum, aut  
 aliquid efficiat sine Dei concursu. Sed  
 est ista duntaxat: Volo concurrere cum  
 voluntate creata ad actum amoris V. g.  
 tali tempore & in talibus circumstantiis,  
 si ipsa tunc velit amare (modo ipsi non  
 desim) liberetque se ad amandum deter-  
 minet. Quæ conditio impletur, quando  
 voluntas creata vult amare. Impletur in-  
 quam, non antequam ad concursum  
 Dei: sed concomitater. Sicut ista, vo-  
 luntas amabit si velit: iuxta ea quæ dixi-  
 mus num. 43. Neque vllum est inconueni-  
 ens in eo quod sit mutua connexio inter  
 Deum & creatam voluntatem, quod con-  
 cursum: nimirum quia Deus non concur-  
 ret, nisi voluntas operetur: & voluntas  
 non operabitur nisi Deus concurrat, neque  
 potest aliter operari. Nam inde potius  
 fit, vt vtriusque operatio debeat esse simulta-  
 nea & concomitans.

SECTIO VIII.

*Refelluntur eiusdem argumenta, sumpta ab  
 auctoritate, contra nostram  
 sententiam.*

81. Contra nostram & communem senten-  
 tiam de concursu immediato Dei multa  
 opponit idem Author primis quindecim  
 capitibus quartæ partis suæ disputationis, par-  
 tim ab auctoritate, partim ex ratione de-  
 sumpta: quorum præcipua nobis refellen-  
 da sunt.  
 Ac primùm capite 2. adducit quædam  
 testimonia Patrum, præcipue D. Au-  
 gustini, affirmantium actum peccaminosum  
 non esse à Deo. Sed intelligendi sunt non  
 esse à Deo præmouente, aut per se primò  
 intendente vt fiant: eodem sensu quo as-

serunt actum illum esse à Diabolo: aut  
 etiam Deum non esse peculiariter illius au-  
 thorem, vt causam particularem, operan-  
 tem se solo, vel concurrentem aliter quam  
 ex debito causæ primæ. Ex. gr. quando  
 S. Augustin. serm. 13. de verbis Apostoli,  
 cap. 11. in fine, sic ait: *Cum adu-  
 sine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni di-  
 co. Nam ad male agendum habes sine adiu-  
 torio Dei liberam voluntatem:* loquitur de  
 adiutorio speciali, seu gratia præueniente,  
 non necessaria quidem, vt male operemur,  
 secus autem vt bene, saltem vtiliter ad sa-  
 lutem, de quo bene loquitur Scriptura,  
 & sancti Patres. Et cum ait lib. 5. de  
 ciuit. cap. 9. *Mala voluntates ab illo non  
 sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab  
 illo est:* intelligit non esse à Deo inclinante  
 ad illas. Quia sunt potius contra eius in-  
 clinationem, & contra inclinationem natu-  
 ræ ab ipso conditæ.

Hieronym. verò in cap. 45. Isaia ex-  
 plicans illud, *Ego Dominus, & non est al-  
 ter, formans lucem; & creans tenebras; fa-  
 ciens pacem, & creans malum;* & dicens  
*Confundatur hæresis quæ malorum arbitratur  
 conditorem Deum, cum hic malum non con-  
 trarium bono, sed pro afflictione ponatur &  
 bello:* loquitur contra eos, qui volebant  
 Deum esse causam particularem & autho-  
 rem peccati, abutentes loco illo Isaia, in  
 quo non de malo moralis seu peccato, sed  
 de afflictione & bello sermo est, quæ Deus  
 interdum in pœnam peccatorum immitit.  
 Et in Dialogo primo aduersus Iulianum  
 paulò post imò sic aiens: *Constat ergo infer-  
 nos, in bonis operibus, post propriam volunta-  
 tem, Dei nos imitari auxilio; in malis, Dia-  
 boli: loquitur de auxilio impellente & exci-  
 tante, ad bonum vel ad malum.*

Gregorius quoque Nazian. orat. 1. con-  
 tra Iulian. cum sit ait: *Deus nullo modo  
 causa est mali, quippe natura bonus: vtrum-  
 que est eius qui eligit:* Intelligit nullo modo  
 esse causam particularem, vel authorem:  
 vel nullo modo causam propriam & per se,  
 eo sensu quo Trident. hæc eadem asserit lo-  
 co inferius explicando. Neque potest ad-  
 uersarius vim facere in particula, nullo modo  
 vniuersalissimè illam sumendo, quin aperit  
 contradicat iis quæ habet eodem cap. 2.  
 num. 3. vbi fatetur Deum esse causam actio-  
 nis peccati vniuersalem & primam; & actum  
 peccati (de quo loquimur) esse à Deo aliquo  
 modo, qui sufficiat vt ipse verè dicatur pri-  
 mum agens.

Item, quod ait Gregor. Nyssen. vel Nysseni  
 in lib. 7. Philosophiæ cap. 1. *Non est  
 fas ascribere Deo turpes actiones & iniquas  
 verum est.* Quia non est illarum auctori  
 neque ad illas concurrat, vt causa particu-  
 laris, & modo impurabilis: sed ex debito  
 causæ primæ, & ex suauit prouidentia  
 suæ regimide.

Denique quod scribit S. Prosper in res-  
 ponsione ad capita Gallorum c. 1. *Voluntas*

H h

Explican-  
 tur Patres  
 citati con-  
 tra concu-  
 sum Dei.

Prosper.

Dei nunquam vult nisi bona. Præscientia autem & bona noscit, & mala. Sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam ut nos faciamus imperat. Mala autem, quæ omnino ipse non facit, nec fieri suavit, nec impulsit: sic explicandum est: Voluntas Dei nunquam vult nisi bona, voluntate antecedenti & à se. Præscientia autem & bona noscit & mala. Sed bona, quæ aut ipse faciat solus, ut causa particularis & totalis: aut etiam ut nos faciamus imperat, id est, quæ nos facimus ipsius imperio, vel instinctu aut inclinatione ab illo accepta. Mala autem, quæ omnino ipse non facit, nec fieri suavit, nec impulsit: id est, quæ nec solus ipse per se facit ut causa particularis & totalis: neque per nos ea operatur suadendo aut impellendo ut et faciamus, sicut impellit ad bona quæ facimus. Hæc enim pars postremæ sententiæ de malis, exponenda est eodem sensu, quo prior de bonis: cum vna alteri per negationem opponatur. Neque potest vim facere aduersarius in voce, omnino, & velle ut generaliter accipiatur, nisi sibi ipsi contradicere velit, ut antea notauimus. Quare quæcumque opponit ex Patribus toto illo capite secundo, vana sunt. De euasione autem quas ibidem adhibet testimoniis contra se allatis, dicemus sect. 12.

86.

Exponitur locus 12. den. male cit. contra Dei consensum.

Trident.

Secundo, omittis Theologis & Philosophis, quorum aliquos citat nullius in Schola nominis, aliquos tam inuitos in suam sententiam trahere conatur, ut omnino abutatur eruditorum lectorum patientia, quemadmodum de sanctis Thoma & Bonauent. ostendimus num. 19. & seq. Opponit nobis cap. 9. auctoritatem Tridentini sess. 6. can. 6. cuius hæc verba sunt: Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere: sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie & per se: adeo ut sit proprius et opus non minus præditio Iuda, quam vocatio Pauli, anathema sit. In quibus verbis expendit prius, Concilium non loqui de malitia formali operum nostrorum: sed de ipse malis operibus, quæ proprie non dicuntur nisi actus ipsi reales qui à voluntate fiunt: & de quibus loquebantur hæretici quos Concilium eo canone damnat. Secundo, verbis illis, Non permissiue solum, sed proprie ac per se, voluit se Concilium excludere à Deo omnem casualitatem per se ac propriam, respectu actionis prauæ, sumptæ etiam pro materiali, seu quatenus est ens realis physicum & posituum, ut fatentur Suar. lib. 2. de concursu Dei cap. 2. & Didac. Quis disp. 31. & 32. de voluntate Dei. Tertio propositionem illam Tridentini esse formaliter, & in terminis contrariam sententiæ eiusdem Suar. lib. 1. de. c. cursu Dei cap. 4. quæ ut communissimam Theologorum ac Philosophorum hoc modo proponit: Vera tamen & certa doctrina

Suar.

est, omnem virtutem creatam, æque etiam voluntatem liberam, & ad actus liberos, præter conseruationem sui esse, quam habet à Deo, indigere actuali eius auxilio vel concursu, quo talis actus vere, proprie, ac per se fiat. Quarto operari mala opera immediatè & proximè, esse illa operari per se ac propriè: operari verò illa mediatè ac remotè, esse operari illa solum permissiue, improprie, & per alia, nimirum mediante libero arbitrio hominis. Propter quæ omnia concludit in hæc verba: Ex quo sanè perspicue liquet vel hæc vna ratione, tamen non adessent alia, nostram sententiam esse verissimam, oppositam verò corrigendam, atque ad normam Concilii reformandam. Et hoc argumentum certissimum in toto suo opusculo repetit. Ac licet velit sensum suum ab omni exaggeratione & sententiæ contrariæ offensione alienum esse, ut ait cap. 10. num. 3. in fine. Modò tamen affirmat se rem perspicue ostendere ac demonstrare, ut num. 1. & istudemum. 2. eiusdem capituli: modò perspicue liquet sententiam suam oppositam non esse conformem Tridentino, ut ibidem ait num. 3. & veramque sententiam tam prædeterminantiam, quam assertoriam scientiæ mediæ, ut sibi quidem videtur, euidenter factam esse, intelligibilem ac repugnantem, ut ait cap. 15. num. 1.

Sed non possum non mirari magnopere Authorem istum tantam vim facere in argumento quod ipsemet penitus enervat eodem capite q. num. 8. ubi sibi sic obiecit, Dices, ex illa particula quam Concilium adhibuit, ita ut bona, videatur sequi quod Deus opera nostra bona operari proprie & per se, & non tantum permissiue. Operari autem per se & propriè est operari proximè & immediatè. Ergo sententia nostra, qua negat Deum operari opera nostra bona concursu immediato & proximo, repugnat Concilio. Probatur assumptum, quia hæc videtur fuisse mens Concilii: Qui dixerit Deum operari opera mala per se ac propriè, & non tantum permissiue, sicut reuerà ipse operatur bona per se ac propriè & non tantum permissiue, anathema sit. Cui obiectioni respondet paulò post in hæc verba: Respondeo tamen non dicamus Deum operari opera nostra bona proximè immediatè & identifice: facili tamen explicamus quomodo ipse sit eorum causa plus quam permissiua. Nimirum quia ipse suadet, hortatur, allicit, ad opera bona faciendâ, præbetque vires accommodatas ea intentione ut sunt: quod de actibus malis dici non potest. An verò dici etiam debeat, necne Deum operari opera nostra bona per se ac propriè, non omnino perspicue liquet in hac definitiue Concilii. Ego quidem persuasum habeo questionem esse ferè de nomine, cuius solutio ex variâ

86. Dicitur aduersus illi consensum.

severiorum interpretatione dependeat. Nam si, per se ac proprie, idem significet quod immediatè proxime & identifice, existimo Deum non operari, actus vestros liber bonos immediatè proxime, & identifice, nec consequenter per se ac proprie in eo sensu. Et paulò post: At verò si per se & proprie operari bonum opus, idem significet, quod directè intendere tale opus ab homine fieri, & proprie conferre auxilia opportuna, viresque necessarias ad bene operandum, ea intentione ut bene operemur, tum naturaliter, tum diam supernaturaliter: sane eo sensu fatemur Deum esse causam veram, per se ac propriam operum bonorum. Hæc ille.

88. Ex cuius confessione habemus particulas illas quibus vitur Tridentinum, & in quibus ipse tantam vim faciebat supra, dupliciter sumi posse, si applicentur ad bona opera. Primò, pro immediatè proxime & identifice: secundò pro directè intendere tale opus ab homine fieri, & proprie conferre auxilia opportuna, viresque necessarias ad bene operandum, ea intentione ut bene operemur. Et hoc secundo modo intelligendum esse Concilium quando affirmat opera bona esse à Deo non permissivè solum, sed etiam proprie ac per se. Non autem priori modo, id est, non proxime & immediatè. At quis non videt responderi facile posse, simili modo explicandum esse Concilium quando damnat asserentes opera mala esse à Deo proprie & per se? Nimirum per particulam illam, per se proprie, Concilium non intelligere, immediatè proxime & identifice: sed eam sumere in secundo sensu pro directè intendere mala opera ab homine fieri, & conferre auxilia opportuna, viresque necessarias ad male operandum ea intentione ut male operemur. Nihilque obesse huic expositioni, quod Concilium dicat, non permissivè solum, sed etiam proprie ac per se. Nam opponit permissivè, ei quod est proprie & per se. Et secunda particula est tantum prioris explicatio: ita ut ex mente Concilij dicatur Deus permittere tantum, ea, quæ non directè intendit, & ad quæ non confert auxilia viresque necessarias ea intentione ut fiant, sed tantum malæ intentioni secularum secundarum officium primæ causæ non denegat. Quo etiam sensu Theologi & sancti Patres loqui solent de permissione. Eodemque sensu illam intelligunt & impugnant, Calvinus & Melancthon, alique hæretici huius temporis à Concilio Tridentino damnati, ut videbimus paulò post.

89. Porro Tridentinum non modò posse, sed debere omninò sic intelligi, probò primò, quia eodem modo debet intelligi definire mala opera non esse à Deo per se ac proprie: quo definit bona opera esse à Deo per se ac proprie. Atqui definit tantum bona opera esse à Deo per se ac proprie in secundo sensu è

duobus supra allatis ab Aduersario, ut ipsemet affirmat. Ergo definit tantum in eodem sensu mala opera non esse à Deo per se ac proprie. Maior probatur, quia particula comparativa, quæ Concilium vitur, cum ait, Mala opera, ita ut bona, manifestè significat ipsum eodem sensu idem negare de malis operibus, quo affirmat de bonis. Et illa propositio complexa Concilij, Mala opera non sunt à Deo per se ac proprie, ita ut bona: debet æquivalere his duabus simplicibus eodem sensu acceptis: Opera bona sunt à Deo per se ac proprie. Opera mala non sunt à Deo per se ac proprie.

Probo secundò, quia intentio Concilij Tridentini erat, non qualem Author iste fingit cap. 9. num. 2. sed qualem refert Didac. Ruis disp. 3. de voluntate Dei sect. 1. num. 2. & accepit ex Ruaro Tappero, Lutheri & Philippi Melancthonis contemporaneo, insignique aduersario: damnare scilicet prædictos hæreticos cum Caluino & aliis eorum sectatoribus, affirmantes Deum non permittere tantum mala opera, eo sensu quo Theologi illius temporis communi consensu, & tota Ecclesia Catholica id affirmabant, id est, non esse illorum auctorem, neque ad illa inducere & excitare) sed etiam ad illa movere, inducere, cogere, necessitare: sic enim loquitur Calvin. lib. 1. Instit. cap. 18. vbi permissionem alio sensu Catholico acceptam, irridet & refutat. Spectatum verò tangitur canone Tridentini citato Philippi Melancthon. (ut fatetur ipsemet Aduersarius p. 4. suæ disputationis cap. 10. num. 2. initio) qui in cap. 9. Epist. ad Roman. sic scripsit: Nos verò docemus non solum permittere Deum creaturis ut operentur, sed ipsum omnia proprie agere. Sicut fatemur (Catholici scilicet) proprie Dei opus fuisse Pauli vocationem: ita fatemur opera Dei propria esse sua que media vocantur, ut concupere & bibere, communia cum brutis: sive qua mala sunt, ut Davidis adulterium, Manly feneritatem animadvertentis in filium. Conbat enim Deum omnia facere, non permissivè, sed potenter, id est, ut sit eius propria Iuda proditio, sicut Pauli vocatio. Et paulò post: Ergo non est cum frigidum gloriæ fema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere. Hæc Melancthon, qui ut refert idem Ruard. art. 7. de libero arbitrio, errore illum postea retractavit, & in posterioribus editionibus eandem annotationem in Epist. ad Roman. verba illa expunxit.

Scribit quoque Author, quem impugnamus, parte 1. suæ disputationis c. 11. n. 3. in fine, plurimos Caluinitas repertos fuisse, & fore etiam nunc reperiri qui existimant Deum operari opera nostra prava non modò permissivè, sed etiam proprie ac per se. efficaciter volendo, decernendo, mouendo & impellendo. nos ad peccata. Quibus verbis confirmat explicationem quam Tridentinò damus: & contradicit iis quæ scripserat eadem p. cap. 9. num. 5. in hæc verba: Dices

309

Ruis

Calvinus censet Deum impellere ad agens malos.

Melancthonis error & palinodia.

Ruard

913

89. Verus sensus Trident.

Secundo hi damnatos esse duntaxat eos qui assererent mala opera fieri à nobis Deo suadente aut exhortante, non minus quam ipsi suadet & exhortatur ad bona. Sed contra ( inquit ipse respondens huic obiectioni ) quia error hereticorum illius temporis non erat quod Deus suadent aut exhortetur ad actum peccati: sed quod ipse operetur in nobis proprie ac per se opera mala. Unde inferebant non esse rectam homini libertatem, ut vias suas malas ad libitum facere possit. Quod tamen ipsi non intulissent ex sua suasionem aut exhortationem. Is enim qui aliquid hortatur ac persuadet, auctori suo libertatem non admittit: sed solius morali quadam enim ratione ad operandum inducit. Quæ postrema huius Authoris verba ostendunt parum illum esse versatam in doctrina hereticorum illius temporis, qui nunc etiam vigent, & docent Deum ista suadere, hortari, & movere ad mala opera, ut voluntatem non necessitet ad malè operandum, quia id facti voluntate sua efficaci, cui nemo potest resistere: ut putant se colligere ex Pauli verbis Roman. 9. v. 19.

Atque hoc ita esse, illamque fuisse sententiam hereticorum illius temporis, quo Concilium Tridentinum celebratum est, & quod suo anathemate perculit, patet tum ex eorum Com. merariis aut annotationibus in caput citatum Epistolæ ad Roman. tum ex antidoto Caluigi, & examine Kemnicij, scriptis contra Concilium Tridentinum; tum ex eodem Caluino in libris Institutionum scriptis ante Tridentini Concilij celebrationem: cuius aliquot loca retulimus alia occasione disp. 19. num. 19. & 20. & quidem aded illustra, ut sole clarius ostendant verum esse quod dicimus.

Sic igitur argumentor: Tridentinum Concilium can. citato intendit damnare hereticos illius temporis, eo sensu quo illi assererent per mala esse à Deo non solum permittente, sed etiam proprie & per se. Ergo definit tantum opera mala esse à Deo permittente solum, & non proprie ac per se, eo sensu quo heretici contrarium assererent. Atque heretici illius temporis intelligebant proprie ac per se secundo modo è duobus relatis num. 87. & ab Authore isto concessis. Ego Concilium Tridentinum definit tantum eodem sensu opera mala esse à Deo permittente, & non proprie ac per se. Prima consequentia probatur, quia de vero sensu definitionis Concilij iudicandum est ex illius intentione. Minus cautè sicut euidenter probatur, locis relatis ex Caluino disput. illa 19. num. 19. & 20. & ab aduersario ipso concessa, verbis ex eodem relatis parte 4. sue disputationis cap. 1. num. 3. in fine. Liqueat ergo argumentum istud suspitum ex Tridentino, in quo tantum vim facit, & quod usque ad nauseam repetit, planè inutile esse & inutile. Et hæcenus de argumentis sumptis ab auctoritate. Nunc ad alias probationes præmittendas progrediendum est.

## SECTIO IX.

Soluuntur alia eiusdem argumenta ex ratione desumpta.

Primum argumentum ex ratione sumptum, quod proponit pag. 4. cap. 10. est huiusmodi: Deus non potest producere immediate & proximè actus prauos. Ergo sententia asserentium Deum concurrere proximè & immediate cum causis secundis est falsissima, atque adeo corrigenda & reformanda. Antecedens probatur primò, quia testimonia Scripturæ, quibus ostenditur Deum odisse iniquitatem, & mentiri non posse, nec seipsum negare, & alia huiusmodi, aperte clamant eum non posse consentire nobiscum ullam actionem intrinsecè malam, istè consequenter habere decretum volitionemque illas nobiscum producentem. Probat secundò, quia opposita sententia videtur saltem implicite & inæquivalente condemnata in Concilio Tolertano, in quo damnati sunt, qui dicebant Deum posse mentiri, siue per se, siue per alium, id est, cum alio: siquidem odisse Deum per alium, siue cum alio, multò turpius est, quam mentiri per alium. Expressè autem videri potest in Concilio Tridentino magis vniuersè condemnata quoad actus prauos sess. 6. can. 6. vbi damnantur qui dixerint mala opera, ita ut bona, Deum operari non permittente solum, sed etiam proprie & per se. Probat tertio, quia implicat Deum aliquid agere contra rectam rationem, quodque sit repugnans & contrarium infinitæ Dei sanctitati, & alio quo seipsum prosequitur. At liberè concurrere immediate ad actionem liberam intrinsecè malam, est agere contra rectam rationem, & displicet infinitæ sanctitati Dei, estque contrarium amoris eius ergo, &c. Probat minor, quia nulla sufficiens affertur ratio, cur homo liberè efficiens actionem intrinsecè turpem, aduersus rectam rationem, contra diuinum amorem, & sanctitatem agat: Deus autem concurrens etiam proximè ad eandem actionem secundum omnem gradum entitatis, excusetur ab iniquitate, & non agat contra rectam rationem. Respondens negando antecedens argumentum propositi. Ad cuius primam probationem dico eam pridem omnibus illis Scripturæ testimoniis satisfactam fuisse à Theologis: neque esse nobis necessarium quidquam illis addere, cum aduersarius nihil noui opponat contra eorum expositionem. Ad secundam: Quia non ignorabat aduersarius tresdecim esse Concilia Tolertana, debebat designare in quonam ex illis damnata fuerit illa propositio. Ego autè in nullo ex illis damnatam fuisse reperio. Dico tamen potuisse merito damnari, & fuisse

damnata in Toletano primo, celebrato  
præcipue contra Priscillianistas mendacij  
patronos) eodem sensu quo damnatur  
communiter à Theologis: nempe quod  
Deus possit esse causa particularis vel au-  
thor mendacij, siue per seipsum, siue per  
alium mentiend. Quod verò addit Au-  
thor ex Tridentino, est inutilis, sed illi  
frequentissima repetitio eorum quæ in  
priori sectione refutauimus. Ad tertiam:  
nego minorem. Et ad eius probationem  
dico rationem à nobis fuisse datam sect. 3.  
num. 32. quia scilicet Deus concurrens  
cum creatura ad actum malum, non facit  
contra debitum, sed potius ex debito &  
officio causæ primæ concurrat ad actum  
voluntatis creatæ liberè se determinantis  
ad actum malum, ne lædat ex parte ipsius  
libertatem, negando illi concursus neces-  
sarium ad operandum prout vult, & ex  
pleno dominio in suos actus, tam bonos,  
quàm malos.

96. Sed contra hanc rationem opponit pri-  
mo, illam petere principium. Cum enim,  
inquit, questio sit, an Deus possit honestè  
& licitè concurrere immediatè ad omnes  
actus nostros, tamen si prauos, responde-  
tur affirmatiuè, & assertur pro ratione ipsa  
conclusio: nimirum quia honestum est, vt  
Deus ordinariè concurrat immediatè ad  
omnes actus tuarum creaturarum. Et ratio  
rationis adiungitur, quia alioqui crea-  
tura nihil posset operari, est autem ho-  
nestissimum, vt Deus illam permittat ope-  
rari. Atqui nos potissimum inquirimus,  
an verum sit creaturam nihil posse operari  
Deo non concurrente immediatè. Ergo sup-  
ponitur id quod probandum erat, & quod  
nos maximè contendimus esse falsum.

97. Soluatur prima ob-  
iectio.  
Respondeo Authorem istum non esse  
memorem eius quod probandum suscepit  
illo argumentò, cui sic respondimus. Nam  
hanc minorem probare aggressus erat initio  
num. 3. cap. 10. in quo refutando versamur:  
*At liberè concurrere immediatè ad actionem  
liberam intrinsecè malam, est agere contra  
rationem, & displicet infinitæ sanctitati Dei,  
estque contrarium amoris eius.* Quam mi-  
norem sic probat immediatè post: quia,  
inquit, nulla sufficiens assertur ratio, cur  
homo liberè efficiens actionem intrinsecè  
turpem, aduersus rectam rationem, contra-  
que diuinum amorem & sanctitatem agat:  
Deus autem in concurrans etiam proximè &  
identificè effectiuè ad eandem ipsam actio-  
nem illicitam, secundò omnem gradum  
entitatis, non modò genericum, sed etiam  
specificum & singularem, excusetur ab ini-  
quitate, & non agat contra rectam rationem.  
Itaque vt aptè respondeamus, & sine peticio-  
ne principij, sufficit nobis rationem aliquam  
reddere cur Deus, magis quàm homo, excu-  
setur ab iniquitate, & non agat contra rectam  
rationem concurrendo cum creatura ad actus  
intrinsecè malos. Illam autem reddidimus  
dicentis, esse discrimen inter hominem &

Deum: quia homo eliciens illum actum,  
facit contra debitum, & disconuenienter na-  
tura rationali: contra verò, Deus concurr-  
rens facit ex debito causæ primæ, & conue-  
nienter officio primi entis, & principij gene-  
ralissimi cæterorum omnium. Quod si dicat  
peti principium, eò quòd hæc responsio  
supponit Deum debere concurrere necessariò  
cum omnibus causis secundis: Et hoc suppo-  
sito redditur ratio cur non itaque agat. Res-  
pondeo illam esse thesim, cuius probatio iam  
non queritur, quæ quæ in rota sectione 2. fuit à  
nobis probata, & iam supponitur esse proba-  
ta. Sed id solum nunc queritur, quare Deus  
magis quàm homo excusetur à peccato,  
quando concurrat immediatè cum illo ad  
actum intrinsecè malum. Quare neque illa  
suppositio, neque nò hæc responsio petit pri-  
cipium eius quod nunc ab aduersario queri-  
tur, quasi scilicet afferamus pro ratione illud  
ipsum cuius ratio queritur, & dicamus Deum  
excusari magis quàm hominem: quia excusa-  
tur magis quàm homo.

Opponit secundo, actus intrinsecè turpes,  
nullo sine moriuo aut pretextu, tamen spe-  
ciosissimo, honestari posse: ac proinde omnes  
naturas intellectuales teneri illos omittere.  
Ergo Deus, qui est naturæ intelligentissimæ  
ac liberrimæ, obligatur ad omnem huiusmo-  
di actum omittendum. Ergo non potest ha-  
bere ius ad committendum seu operandum  
illum proximè & immediatè.

Respondeo actus intrinsecè turpes, siue in-  
honestos, non posse honestari nullo sine mo-  
riuo aut pretextu, hoc sensu, id est, non posse  
fieri vt non sint turpes & inhonesti, ac dis-  
conuenientes suo obiecto: sed tamen fieri  
posse, vt non sint turpes & inhonesti ac dis-  
conuenientes alicui agenti, aut permittenti,  
aut concurrenti aliquo modo. Si nimirum per-  
mittat aut concurrat eò modo, quo recta ratio  
dictat posse permitti, aut concurrere. Actus  
enim, quamuis intrinsecè turpes, non sunt ta-  
les respectu cuiuslibet agentis, id est, non sunt  
turpiter & disconuenienter à quolibet: sed  
tantum respectu eius, cui secundum eandem ra-  
tionem disconueniens est actus illos efficere,  
vel ad illos concurrere. At non est disconue-  
nientis primæ causæ munus suū præstare causis  
secundis, & illis exhibere supplementum neces-  
sarium ad agendum, & ad vtendum dominio  
suo cum actuum, si causa libera eum. Ac  
sicut non est disconueniens Magistratui  
permittere, id est, tolerare, aliqua intrin-  
secè mala, ad vitanda maiora, & ad suauem  
Reipublicæ gubernationem: & quilibet po-  
test licitè consulere minus malum ei qui est  
paratus facere maius: V. g. consulere men-  
daciū deute ei qui paratus est blasphemare  
propter suauem prouidentia gubernatio-  
nem; & vt conseruet illam libera-  
tatem eorum naturalem.

Opponit tertio: Nulla natura intellectu-  
alis, siue creata aut creabilis, siue increata,  
Hhh 3.

Secunda  
oppositio  
Actus in-  
trinsecè  
turpes non  
sunt tales  
respectu  
cuiuslibet

99.  
Tertia ob-  
iectio.

potest habere ius, ac multo minus debi-  
tum operandi actum intrinsicè malum, siue  
illud operetur sola, siue occasione sumpta  
ex nequitia alterius: alioquin ille actus falso  
diceretur intrinsicè malus, quia ex aliquo  
fine & motu honestari posset. Probat  
assumptum, quia si Deus tantam vim deuis-  
set primo Angelo, ut ceteri ab eius con-  
cursu immediato penderent in omni ope-  
ratione: tamen Deus nullè lege positiva  
prohiberet ne concurreret cum illis ad  
actus intrinsicè malos: teneretur tamen  
iure naturali non concurrere, & potius  
illos relinquere in eternum stultos & otio-  
sos. Ergo illa obligatio oritur præcisè ex  
ipsa natura intellectuali. Confirmatur,  
quia si loqui reperiri posset aliqua causa  
sufficiens ad licitè mentiendum, quæque  
auferret malitiam & turpitudinem ab actu  
mendacij. Quod si semel admiserimus,  
dubitare licebit, num fortè Deus ob al-  
tissimos fines nobis incognitos mentitus  
fuerit, quando per scriptores canonicos  
locutus est, & nutabit fides nostra.

Ad primam partem huius obiectionis  
iam responsum est, cur actus ille dicatur  
intrinsicè malus, & quomodo non pos-  
sit vllò sine aut motu honestari: & ta-  
men possit non elicite pertinere ad ali-  
quid, ut concurrentem aliquo modo quem-  
admodum patet in eo, qui licitè minus,  
malum consulti, ut leue mendacium,  
quòd tamen intrinsicè malum est.

Ad secundam Respondeo, si Deus of-  
ficium causæ primæ in Angelum transfe-  
ret per impossibile, par esset ratio illius  
Angeli, ac Dei concurrentis quoad ius  
aut licentiam concurrenti, nisi Deus illam  
restringeret, sed potius veller Angelos  
alios, vel homines habere plenum do-  
minium suæ libertatis naturalis.

Ad tertiam, nego, quæquam prosterèa  
posse licitè mentiri, posseque reperiri  
causam, quæ malitiam auferat, & tur-  
pitudinem ab actu mendacij. Quamuis  
enim possit aliquis licitè consuli mendacium  
aliqua de causa, ut in exemplo  
suprà allato: & Deus licitè possit suum  
concursum & officium primæ causæ exhi-  
bere creaturæ peccatæ & volenti mentiri:  
non sequitur actum mendacij non esse  
distinguentem a suo obiecto, & naturam  
illius qui mentitur. At Deus non menti-  
tur concurrendo cum mentiente. Sicut  
non mentitur ille, qui consulti leue men-  
dacium parato erumpere in actum blas-  
phemia. Multumque interest quidquid  
affirmit aut dissimulet Author iste num. 9.  
cap. cit. Inter hæc duo, Deum mentiri  
per se vel per alium, aut impellere ali-  
quem ad mentiendum, vel præcipere pro-  
priè ut mentiat, & inter cooperari cum  
illo ad actum mendacij ex officio causæ  
primæ. Sicut manifestè plurimum interest  
inter hæc duo, mentiri aut præcipere  
propriè & simpliciter alicui ut mentiat

& consilium illi leue mendacium præ  
blasphemiam: id est, consilium ut leuiter  
mentiat potius, quam blasphemet atro-  
citer, ad quod paratus est.

Opponit, quod non potuisse Deum si-  
bi legem imponere, seu potius formare  
decretum concurrenti cum causis secun-  
dis ad quoslibet actus, siue bonos, siue  
malos. Potius enim erat dimittenda pro-  
ductio & gubernatio totius Vniuersi, quam  
sancienda illa lex concursus & providen-  
tiæ, quæ feruari non poterat absque in-  
iquitate, & legis naturalis violatione. Neque  
potuit Deus in eo sequi fiduciam æternæ  
sapientiæ iudicantis melius esse causam  
primam concurrere cum creaturis, etiam  
ad actus peccaminosos, quam non con-  
currere. Nam potius in Deo est iudicium  
contrarium: scilicet abstinendum potius  
esse à creatione mundi, vel saltem per-  
mittere esse creaturis ipsarum ope-  
rationes, in ut solæ eas producant, quam  
cooperandum ad actus malos.

Respondeo, per principium ad aduer-  
sario, cum edicit, legem illam non posse  
feruari absque iniquitate, & legis natu-  
ralis violatione: idèque non potuisse ferri.  
Itemque cum ait potuisse Deum saltem  
permittere creaturis, ut solæ actus suos  
producerent. Nec magis proficit, cum  
addit, si causa prima ex eo quod est prin-  
cipium vniuersale subordinans sibi causam  
secundam, debet secundum dictam re-  
ctæ rationis præbere concursum ad om-  
nem actum qui est in potestate causæ se-  
cundæ; sequitur voluntatem creatam de-  
bere ac posse secundum dictam re-  
ctæ rationis concursum suum præbere poten-  
tiis executiuis sibi subordinatis, ad om-  
nem actum qui est in potestate earum,  
adeoque ad eundem actum peccati  
nempe intellectui, ad infidelitatem & cog-  
itationes illicitas; sensui, ad sensationem  
veritatis; appetitui sensitiuo, ad omnem  
concupiscentiam motum; & potentiæ moti-  
uæ, ad homicidium.

Respondeo, magnum & euidens esse dif-  
ferentiam inter voluntatem respectu poten-  
tiarum ei subordinatarum, & Deum res-  
pectu causarum secundarum: neque pa-  
rem esse vtriusque rationem & obliga-  
tionem. Ut ex eo manifestè liquet, quod  
voluntas iure, non tantum potius, sed  
etiam naturali, tenetur impedire efficaci-  
ter, si potest, motus prauos indeliberatè  
ortos in potentiis sibi subordinatis. At  
Deus non tenetur impedire creaturas ne  
peccent, ita ut male & turpiter faciat,  
si permittat, id est, patiatur creaturas  
peccare. Alioquin tam esset impossibile,  
creaturam vllam peccare, quam est im-  
possibile Deum agere turpiter, aut Deum  
non posse impedire, ne creaturæ pec-  
cent, si velit efficaciter. Sicut autem  
Deus non tenetur pari iure impedire  
ta neque tenetur pari iure non concu-

SECTIO X.

Soluuntur quinque eiusdem Authoris instantiæ.

tere cum creaturis male operantibus. Cuius differentia ratio est summum Dei dominium, ut cause primæ & vniuersalissimæ, sapienter & suaviter regentis creaturas suas, permittentisque ut pro sua naturali libertate, bene vel male agant, & referentis ad suam gloriam quicquid faciant. Qui enim nolent eius gloriæ seruire per gratiam, seruiunt per iustitiam.

104. Quinta obiectio.   
Opponit quindò: Non videtur sancta illa lex & voluntas cooperandi æqualiter ad actus bonos & malos. Nam illa lex æquitatem non continet, quæ eos euentus comprehendit, in quibus, si solos illos constitueret, iniusta & iniqua esset, maximè quantum ex aliis, quos simul comprehendit, non potest compensari illa iniuitas & inæqualitas. Atqui si Deus statuisset concurrere tantum ad actus malos, illa Dei voluntas non esset iusta. Ergo nec illa, qua statueret concurrere ad bonos & malos indifferenter. Confirmatur, quia propter hoc dicunt Theologi obstinationem Dæmonum non esse ex eo quod Deus decreuerit nunquam concurrere cum illis ad actus bonos, sed ad malos tantum.

Respondeo, negando primam partem maioris, quæ potest instantiis manifestis refelli. Exempli gratiâ, iniqua esset lex quæ obligaret solos pauperes ciuitatis succurrere publicis & grauibus eius necessitatibus. Secus autem si omnes diuites simul & pauperes obliget. Iniqua esset lex quæ solos Clericos obligaret ad arma ferenda & urbem defendendam: secus autem quæ omnes, laicos simul & Clericos obligaret, quando necessitas id postulat. Ad secundam partem eiusdem maioris, dico in exemplis allatis, & similibus casibus, non compensari, sed penitus vitari, per illam vniuersalitatem, iniquitatem quæ foret in lege, si non tam multa comprehenderet. Quare similiter licet iniquum & indignum Deo putem, velle ipsum concurrere dumtaxat ad actus malos dæmonum, aut aliarum creaturarum, & negare semper concursum ad actus bonos, quos elicerent, si vellet concurrere: nego pariter indignum esse velle Deum concurrere vniuersaliter cum creaturis ad exercitium libertatis suæ naturalis in bonum & in malum. Quanquam non est verum Deum velle concurrere æqualiter ad vtrumque, si particula æqualiter sumatur pro æquali propensione voluntatis. Deus enim antecedenter & à se vult creaturas bene operari, & ad hoc illas varijs modis inducit aut impellit. A malo autem retrahit multipliciter, dictamine naturalis synthetesis, inspirationibus, præceptis, comminationibus, flagellis, & alijs medijs internis aut externis. Cùmque ad malos cooperatur, illa cooperatio est illi verè inuoluntaria secundum quid: vellet enim non cooperari, & creaturam non abuti suo concursu.

105. Prima instantia.   
Sequuntur quinque instantiæ in confirmationem superioris argumenti, quas proponit cap. 11. ut probet non posse Deum absque sanctitatis suæ detrimento concurrere immediatè ad actum peccati. Primam sumit ex mysterio Incarnationis, iuxta aliquorum ( id est, omnium rectè sentientium ) Theologorum sententiam, qui dicunt implicare contradictorium ut Verbum permittat materialem actum peccati in natura hypostaticè sibi vnita: quia hoc est repugnans & indecens ipsius sanctitati. Eius autem discursus potest ad hoc Enthymema reduci: Multò magis tribuitur causa efficiens actus ab illa productus proximè & immediatè: quàm tribuitur sustententiæ actus productus à natura eam sustentente. Ergo si Deus non potest permittere actum prauum fieri à natura hypostaticè sibi vnita, ne ille actus sibi tribuatur cum præiudicio suæ sanctitatis: multo minùs potest proximè & immediatè efficere actum prauum, concurrendo cum creatura.

Respondeo, distinguendo antecedens. Magis tribuitur physico, concepto, moraliter & imputabiliter, nego. Moraliter autem & imputabilis attributio actus prauum est illa quæ sanctitati præiudicat. Ratio verò cur actus prauus, ad quem Deus concurrat cum natura non sibi vnita hypostaticè, non sit imputabilis Deo, id est, non possit illi tribui tanquam disconuenienter operanti, reddita fuit sectione præcedenti. Quare autem meritò imputaretur Deo actus prauus naturæ hypostaticè sibi vnitæ, si Deus eum permitteret, docent Theologi in tract. de incarnatione, & qui meliùs sentiunt, adiunt cum D. Thom. in 3. dist. 12. quæst. 2. art. 1. Capreolo ibidem, art. 2. §. Dicitur quintus Valent. tomo 4. disp. 1. quæst. 15. puncto 2. Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 34. sect. 2. & alijs communiter, idèd non posse Verbum sine indecentia permittere actus prauos in humanitate assumpta, quia quando plures sunt appetitus aut voluntates in eodem supposito, in eadem aut pluribus naturis illud cõponentibus; pertinet ad superiorem voluntatem dirigere inferiorem, & in officio continere. Et hoc si negligat, defectus est & indecentia ipsius superioris voluntatis. Sic homo tenetur per voluntatem regere appetitum sensitium, eiusque impes motus impedire, aut cohibere si potest. Et vitio illi tribuitur, atque imputatur peccato, si non faciat. Ergo similiter tenetur Verbum ita regere naturam assumptam in vnitatem sup-

105. Prima instantia.

106. Verbum incarnatum non potest permittere peccatum in natura assumptam.

D. Thom. Capreol. Valent. Sibar.

positi, ut omnes actus prauos in illa impediatur.

107.  
Secunda  
instantia.

Secunda instantia: Theologi communiter docent, impossibile esse ut Deus producat solus in voluntate cuiuspiam habitum vitiosum inclinans ad actum prauum: quia sic Deus mediante illo habitu, qui esset habitualis quaedam impulsio & inclinatio in actum malum, merito diceretur impellere & urgere nos ad peccandum, quod repugnat ipsius sanctitati. Acqui producere immediate actum odij Dei in voluntate hominis liberum illum elicentis, multo magis alienum est à diuina bonitate & sanctitate: quia hoc esset multo efficacius impellere hominem ad ruinam, & cooperari ruinæ eius, aut causam peccati esse.

Respondeo negando minorem, cum eius probatione. Ratio negandi est, quia in primo casu, Deus ut causa particularis esset principium & author illius habitus mali, per eum inclinaret nos ad peccandum. In secundo agit tantum ut causa generalis ex officio causæ primæ: sequitur impellit vilo modo ad actum prauum & ad ruinam: sed tantum concomitanter operatur cum voluntate seipsam liberè determinante ad peccandum.

108.  
Tertia in  
stantia.

Tertia instantia: Probatores Theologi communiter multum reprehendunt aliquos Nominales, quod existimauerint Deum se solo producere in voluntate peccatorum actus odij Dei, blasphemiam, desperationis, ipsorum voluntate passiuè tantum concurrente: dicuntque sententiam illam esse Deo indignam & piam aurium offensiuam. At multo grauius est proxime & immediate producere actum odij in voluntate hominis libertate pollentis, ac minime adhuc damnari, sed peccatis & demerentis.

Respondeo concessa maiore nego minorem propter rationem modò allatam. Est enim manifesta discretio inter primum impie, & etiam à Nominalibus, in quo Deus solus, & ut causa particularis, est effector & author illius odij: & inter secundum, in quo Deus solum ex officio causæ primæ cooperatur cum voluntate liberè peccante, illique tantummodo exhibet concursus necessarium, ut pleno suæ libertatis domino fruatur.

109.  
Quarta in  
stantia.

Quarta instantia: Non licet homini ratione utenti, ob quemcunque finem ac motum, consilium dare aut inuitare aliquem rationis impotentem, ut cum muliere non sua, etiam rationis impote, fornicetur: tamen fornicatione illa non fit peccatum, defectu libertatis. Scilicet quia fornicatio illa est actus ex obiecto illicitus, quem non licet facere, aut procurare, neque in se, neque in alio, etiamsi se alter non sit peccaturus. Ergo similiter aduersatur rationi utenti, ut Deus immediate producat in homine præsertim ratione utente, actum odij,

aut alium similem ex obiecto illicito.

Respondeo concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio negandi, & discretio inter illa duò, est, quod, ut ait iste Author, quia Deus non odit formaliter peccatum odij quem producit cum creatura: sed quia primò Deus, concurrente solam, non dat consilium peccandi, aut actum prauum, committendi, neque ad hoc inuitat aut inducit, ut ille de quo loquitur obiecto. Secundò, quia non est par obligatio Dei, supremi omnium domini, & primi atque vniuersalissimi, rerum omnium principij, cui incumbit assistere causis secundis concursu & subsidio necessario ut pleno suæ libertatis exercitio uti possint: & cuiuscunque hominis, aut ferius causæ particularis, cui incumbit officium causæ primæ, quæque longissime abest à tali dominio supra res omnes, & independentia ab illo. Propter quod ne quidem possunt homines licitè permittere talem fornicationem inter mentes, si possunt eam commodè impedire.

Quinta instantia: Sententia aduersariorum populo sincerè proposita & explicata potest parere scandalum & licentiam vitæ, estque apta namque minuere peccati horrorem & fugam, & conatum ad vitandam peccata. Quis enim facile credat peccata tantoperè displicere Deo, si persuasum habeat eum proxime & immediate cum hominibus nefarijs coëficere ipsos eodem actus turpissimos, quorum vel ipsa nomina horremus?

Respondeo aduersarij metum superstitionis aut scrupulosum esse. Nam potius peccatum eò magis horrendum fugiendumque est, & tale merito bene iudicanti apparet, quòd qui illud committit abutendo Dei concursu, ipsum quodammodo seruire sibi facit in suis iniquitatibus, ut loquitur ipsemet apud Isaiam cap. 47. Quanquam aliunde, ex ijs scilicet quæ de supplicijs sempiternis habemus revelata, satis quisque intelligit quàm magnopere Deo peccatum displiceat, quantoque studio & conatu sit vitandum. Quod verò Deus non sit propterea causæ vel complex peccati, facilius fuit huc usque ostendere & persuadere, quàm aduersarijs impugnare, & probare oppositum, ut testatur experientia. Nam à tempore D. Thomæ huc usque viguit nostra sententia toto orbe Christiano, pacissimis dissentientibus, ut Durando & Auicelo. Et ut testatur Lessius lib. 11. de perfectionibus diuinis, est communis sententia omnium academicorum catholicorum. Eiusque contraria fuit interdicta sub anathemate à Stephano Parisiensi Episcopo: & habetur in articulis ab eodem damnatis anno 1227. cap. de Deo, num. 47. Ex quo liquet non veram esse causam istius persuasionis quam idem Author reddit in fine obiectiois quam modò resutamus, parte 4. cap. 11. num. 8.

SECTIO XI.

Respondetur reliquis eiusdem Auctoris argumentis.

III. Primum argum.

Sequitur aliud argumentum eiusdem Auctoris 4. parte, cap. 13. quo contendit concursum Dei proximum & immediatum repugnare nostrae libertati. Probat primo, quia ut concursus Dei non repugnet nostrae libertati, debet posse modificari & determinari a nostra voluntate ad hunc vel ad illum actum singularem, prout ipsa voluerit. At concursus immediatus & identificatus cum actu nostro, odij verb. grat. est adeo addictus & determinatus ad hoc nullo modo, ut impossibile sit eum determinari a nostra voluntate ut sit aliquis alius actus. Ergo &c. Maiorem probat eum ex varijs locis Divi Thomae, tum etiam quia communiter dicunt Theologi concursum Dei generalem determinari a causis secundis, & esse ex se veluti indifferentem ut applicetur a voluntate ad hanc aut illam actionem prout ipsa voluerit: alioquin non esset libera, si ab inde seculo determinaretur ad unum.

112. Quomodo concursus Dei non efficiat libertatem, & quomodo determinetur a causis secundis, vel eas determinet?

Ad Maiorem respondeo, ut concursus Dei non repugnet libertati, sufficere quod Deus se accommodet naturae causae liberae. Et sicut se accommodat naturae causarum necessariorum, concurrente cum illis in ijs circumstantijs, & ad eam speciem actus, ad quam ipsa naturali necessitate determinatur: puta cum igne, ad calefaciendum & comburendum stupam debite appositam: cum sole, ad illuminandum &c. Ita potentiam suam si applicet, & adiungat habitualiter causis liberis, ut non aliter concurrat cum illis, quam quia ipsae volunt, & ad illam speciem actus, ad quam se ipsae libere determinant. Quo sensu dicuntur causae secundae determinare primam ad speciem actus. Et eodem sensu loquitur D. Thom. cum ait q. 1. de potentia art. 4. ad 3. Influentiam causae primae per causas proximas determinari & specificari: id est, causam primam praebere solum influxum, & talem quoad speciem, quem & qualem causae secundae vel naturali necessitate, vel libere possulant. Et cum ait 3. contra Gen. cap. 66. Agentia secundae esse quasi particularizantia & determinantia actionem primi agentis. Et quaest. 3. de malo, art. 2 in corp. motum primi moventis recipi in unoquoque secundum proprium modum &c. Eodem denique sensu loquuntur Theologi, quando dicunt concursum Dei generalem determinari a causis secundis, adeoque ab ipsa voluntate: & esse de se veluti indifferentem ut applicetur & statatur a voluntate ad hunc vel illum actum, prout

D. Thom.

ut ipsa voluerit; id est, Deum concurrere cum causis secundis iuxta earum naturalem aut liberam determinationem ad speciem actus. Ita ut ratio cur Deus concurrat cum igne ad calefaciendum, sit quia ignis naturaliter calefactivus est, habetque caetera ad calefaciendum necessaria. Et ratio cur concurrat cum voluntate creata ad actum amoris Dei verb. grat. sit quia voluntas libere seipsum ad amandum determinat, & vult ad illum actum uti Dei potentia habitualiter sibi coniuncta. Alter vero sensus, quem his loquendo modis tribuit Aduersarius, malus est & communiter reiectus: quod scilicet causae secundae possint ipsamet Dei actione, & concursu in actu secundo, uti ad actus diversae speciei: siue, quod ipsamet actio concurrendi ad amorem Dei verb. grat. sit indifferens, & possit inferuire ad alium actum, siue eiusdem, siue diversae speciei. Quod idem Auctor sui immemor alibi p. 4. cap. 10. num. 16. in 10. non doceri ab assertoribus scientiae meliorae.

Secundum arg. ex scriptura & Concilio.

Probat secundò, quia Scriptura & Summi Pontifices, Concilia & Patres Ecclesiae, si bene considerentur, efficaciter probant possibile esse actualiter dissentire, etiam in sensu composito cum concursu primae causae, atque in ratione divina: quem admodum expresse tractatur Ruis de scientia Dei disp. 59. sect. 1. conclus. 1. num. 6. Atqui non est possibile dissentire, etiam in sensu composito cum concursu identificato primae causae. Ergo concursus primae causae cum secundis non est identificatus. Si autem esset immediatus, esset identificatus cum actu nostro. Ergo debet esse medius solum ac remotus.

Respondeo, omisso ijs, quae alibi diximus contra Auctoris huius imaginationem de concursu identificato: Scripturam, Summos Pontifices, Concilia, & Patres Ecclesiae, non loqui de concursu proximo & immediato, sed de concursu qui fit, qui concursus est ipsamet actus productivi causa primae concurrentis cum secunda: sed de gratia praeviente seu de auxilio quo Deus praevient & movet voluntatem atque excitat ut velit operari actum, ad quem illa invitatur. Quod auxilium remotè tantum & mediare concurrat ad actum voluntatis consentientis vocationi siue excitationi divinae. Et hoc non potuit ignorari ab Aduersario, si Dida. in Ruis, Suarez, Lessium, & alios Auctores nostros attentè legisset. Mirumque est ipsum paulò post equivoocationis arguere Auctores tam clarè & distinctè locutos: cum ipse potius peccet eo vitio, putans quemcumque concursum in actu secundo esse proximum & immediatum respectu cuiuscunque effectus, idèoque Scripturam, Concilia, Patres, & Theologos, non posse loqui nisi de concursu immediato & proximo, quare scilicet loquuntur de mo-

tione & excitatione diuina, deque alio quolibet concursu in actu secundo.

174.  
Soluntur  
reliqua  
eius argu-  
menta.

Tertia & quarta probatio, quæ subiungit num. 4. & 5. nil aliud sunt, quam inutilis repetitio eorum quæ supra refutauimus sect. 5. & 6. Superest igitur quinta eius probatio, quam sic proponit num. 6. Si Deus uellet, ut reuera potest, necessitate uoluntatem creatam ad aliquem actum eliciendum, nullam ipsi uoluntati præmittendo qualitatem physicè prædeterminantem, non posset id efficacius facere, quam abripiendo uoluntatem ad coëfficiendam secum actionem, & decernendo illi unum aliquem concursum, nullumque alium offerendo. Atqui idem facit, si concurrat identificato & immediato concursu physico. Ergo ille concursus non potest stare cum libertate. Probat minorem: quia si Deus actum aliquem uitalem nobiscum indiuisum operari uellet: operaretur ipsum applicare potentiam suam ad illum unicum actum seu concursum producendum, qui reuera unicus ab ipso Deo, & à nobis simul atque indiuisim produceretur. Alioqui si plures decerneret, & se ad plures eliciendos absoluta & efficaci uoluntate applicaret; plures de facto actus emanarent. Ergo per hunc identificatum concursum abripiatur uoluntas nostra, & necessitate ad operandum unicum illum actum, & non potest ab illius exercitio abstinere, sicut & que oppositum præsumunt.

Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem dico, Deum posse duobus modis applicare potentiam suam uoluntati creatæ, ad operandum indiuisim cum illa aliquem actum. Primò, decreto absoluto antecedenti & efficaci de concursu ad illum solum exhibendo, deque actu ponendo ut illius. Et hic modus repugnat libertati. Secundò, decreto tantum conditionato concurrenti ad actum illum, si uoluntas creatæ uolet illum elicere, aut ad alium, prout uolet: ita ut Deus decreto illo accommodet & subordinet quodammodò habitualiter omnipotentiam suam uoluntati creatæ, ut possit illi uti ad operandum, quemadmodum uteretur habitui, aut non uti, si uelit. Et hic modus non repugnat libertati creatæ uoluntatis. Contra quem nihil noui obijcit Auctor iste, nisi quod ait in fine numeri summam quandam imperfectionem fore in Deo, si ita fingeretur uoluntati creatæ subiectus ac subordinatus, ut ea posset physice illo uti, uelut habitu aut instrumento in potestate illius posito. Cui respondeo magnam quidem fore imperfectionem, si Deus necessariò, & est, non liberè, sed naturali necessitate ex parte sui, esset ita subordinatus uoluntati creatæ: tunc autem, si ex libera & sua dispositione suæ prouidentie, quæ uult creatis uoluntates habere liberum dominium suarum operatio-

num, & causis secundis, tam liberis, quam necessarijs, se accommodare, unicuique iuxta propriam naturam & conditionem.

## SECTIO XII.

*Refutantur effugia eiusdem Auctoris, & responsiones ad argumenta ipsi proposita.*

Omissis ijs quæ dicit toto cap. 15. quæ partim ex Durando, partim ex ipso met supra retulimus ac refutauimus. Omis-  
115.  
Supra, sect.  
2. num. 8.  
& sequen-  
tibus.

sis item 17. quæ responderet quibusdam argumentis ab alijs sibi propositis, examina-  
bo solum ea quibus vim argumentorum à me antea propositorum eludere conatur cap. 16. & sequentibus, quæ ad hanc loci dis-  
putationis.  
Ac primò, effugia quæ Scripturæ & Pa-  
trum testimonijs adhibet, partim citatò. cap. 16. partim etiam cap. 2. num. 6. & sequentibus, præclusa fuerunt & refutata singillatim, cum testimonijs illis protulimus & expendimus sect. 2. Tantiùm addo in præsens, perperam ipsum abuti cap. illo 2. locis quibusdam D. Augustini, & Anselmi, affirmantibus Deum conuincit operari conseruando res à se creatas, ut ait S. Augustin. lib. 4. de Genesi ad lit. cap. 12. & Deum ita naturas à se conditas administrare, ut eas sinat agere motus suos, ut ait idem S. Doctor epist. 146. ad Consentium, prope finem. Et Deum facere omnes actiones & omnes motus creaturarum, quia ipse facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet ullam potestatem uolendi aut faciendi, nisi ab eo dante: ut ait S. Anselm. in libro de concordia præscientiæ & prædestinationis, littera C. Et uerius dici ipsum facere id omne quod facit natura aut uoluntas, qui facit naturam & instrumentum (id est, facultatem) uolendi, cum affectionibus suis, sine quibus idem instrumentum nihil facit.

Perperam, inquam, abute his locis, ut ostendat, mentem horum Patrum fuisse, Deum non aliter concurrere cum causis secundis, quam femorè & mediàtè, conseruando causas illas cum uirtute naturali & inclinatis ad operandum, quam ab initio illis dedit proximè uel remotè. Quasi uerò asserere unum, sit negare alium non impossibile, neque repugnans. Non repugnat autem Deum operari conseruando causas secundas, & simul cum illis immediatè concurrendo. Non repugnat etiam Deum sic illas administrare, ut sinat eas agere motus suos: & tamen ita se illis accommodare, ut concurrat cum uuaqua-  
116.  
August. &  
Anselmus  
non sicut  
adfectu.

ab ipso fieri: quia ipse facit res à quibus fiunt, facitque naturam & instrumentum volendi; & simul etiam cum illis operatur ad omnes motus & actus quos exercent concurruntque ad id omne, quod natura aut voluntas facit. Adde D. August. illo ipso loco, quem malè citat aduersarius, probare ex Scriptura Deum vsque nunc etiam operari ea quæ fiunt à causis secundis. *Nam si Deus inquit nunc ista non facit, quomodo leguntur, Priusquam se formaret, in vitro noui te? Quomodo etiam accipi potest; Quod si ferum agri quod hodie est, & cras in cibarium mittitur, Deus sic voluit &c.* Quare non bene aduersarius sic inlat: Patres citati non explicant alium Dei concursum. Ergo non alium agnouerunt: si enim agnouissent, debuissent illum exprimere ijs in locis, in quibus sermo illis erat de modo, quo Deus operatur administrando creaturas generari: vel speciatim de modo quo se habet cum voluntate creatæ circa actus peccati.

117.  
Iidem docet Deum concurrere immediatè.

Respondet enim primo Patres citatos satis exprimere, tum ijsdem, tum alijs locis, concursum Dei immediatum, vt de D. August. jam ostendimus, & sect. 2. num. 9. De Anselmo patet ex fine capiti 20. de casu Diaboli: vbi discipulo sic interroganti; *Quod quidem Deus naturas rerum omnium facit, fatentem est. Quod verò singulas actiones peruersarum voluntatum, velut ipsum primum motum voluntatis, quo ipsa mala voluntas se mouet, faciat, quis concedat?* Respondet Anselmus; *Qui mirum si dicimus Deum facere singulas actiones, quæ sunt mala voluntate, cum sciamus eum facere singulas substantias, quæ sunt iniusta voluntate & inhonesta actione?* Puta ex. gr. infantes natos ex adulterio, incestu, sacrilegio. Quod esse Dei sanctitate & puritate indignum facile iudicant illi omnes, qui putant esse alienum à Dei sanctitate concurrere immediatè ad actus vitiosos creaturarum: de quorum numero erat ille discipulus disputans cum Anselmo. Malè verò responder aduersarius num. 12. sensum B. Anselmi esse, actus prauos nostros esse à Deo quoad positium; quatenus ipse nobis dedit conseruauitque vires ad operandos actus illos, & quocumque alios opportunos: id est, eò quòd Deus voluntatem nostram creauit & conseruat. Nam neque ille B. Anselmi Discipulus, neque vllus alius Catholicus subitauit vquam voluntates nostras esse à Deo creatas, ab eodemque conseruari: atque eatenus saltem actus omnes voluntatis nostræ esse à Deo mediatè & remotè, id est, esse à voluntate à Deo creata & conseruata. Quare neque interrogatio Discipuli, neque responsio S. Anselmi potest pati sensum, quem aduersarius illi tribuit. Simili modo intelligendum est quod ait idem S. Anselm. lib. de concord. cap. 7. *Omnis qualitas, & omnis actio, & qui quid aliquà habet essentiã, à Deo est, à quo est Omnis iniustitia, & nulla iniustitia. Facit igitur*

*Deus omnia quæ iniusta vel iniuste voluntate fiunt, id est, bona opera & mala. In bonis quidem facit quòd sunt, & quòd bona sunt. In malis verò facit quòd sunt, sed non quòd mala sunt: id est, est causa entitatis, sed non malitiæ moralis.*

Respondet secundò, Patres illis, ijs locis, ab aduersario relatis designare radicem necessitatis concursus diuini. Quia nimirum causa secunda, sicut non possunt esse sine Deo producente & conseruante: ita neque possunt sine Deo concurrente operari. Neque minus pendunt in operari ab eius concursu: quàm in esse & conseruari; ab eius influxu. Ac sicut impossibile est vt eximantur à dependentia immediatè à Deo in fieri & conseruari: pariter impossibile est vt eximantur à dependentia immediatè à Deo in operari.

Tribus prioribus rationibus, quas attulimus sect. 2. num. 23. Respondet parte 4. cap. 19. num. 5. nos non debere esse fatuos adulatores Dei, qui non indigent nostris laudibus falsis: neque debere eximare maiorem aliquam perfectiorem fore in Deo, si possit omne opus nostrum propriè ac per se operari: cum potius repugnet eum ita operari maximam partem operum nostrorum; scilicet omnes actus prauos: pertinereque ad eius omnipotentiam amplificandam, vt possit facere creaturas, quæ seipsis solis habeant vim agendi sufficientem, non indigentem immediatè Dei concursu, nec denique repugnare diuinæ sanctitati ac bonitati dominum in causas secundas, quæ nos illi tribuimus, adque inuoluerè imperfectionem, & Deo tribui non posse.

Sed contra: primò, non est fatuè adulari Deo, sentire altissimè, quantum cum recta ratione fieri potest, de Dei maiestate, deque essentiali dependentia creaturarum à Deo. Præsertim verò Scriptura, & SS. Patribus, ac communium doctorum iudicio, suffragantibus. Quis enim potiori iure fatuitatis et damnandus, si tamen eò nomine vt licet. Illene qui S. Thomam & torrentem Doctorum sequitur hac in parte. An potius ille qui deridendum, nonnisi quam, omnium iudicio temerarium, & nimis audacem in opinando, aliosque pauculos? Secundò, non magis pertinet ad Dei omnipotentiam amplificandam, facere posse creaturas, quæ non pendeant essentialiter & immediatè ab ipso in operari: quàm facere substantias creatas, quæ postquam semel ab ipso productæ fuerunt, non pendeant essentialiter & immediatè ab ipso in conseruari. At hoc secundum est impossibile, etiam iudicio istius Authoris pluribus locis suæ disputationis. Adde vix clarior Scripturam, Patres, & Concilia docere substantias omnes creatas pendere immediatè à Deo in conseruari: atque ecent easdem pendere à Deo immediatè in operari. Effugiatur

108

Primum effugium.

119.

Resutatui.

fere omnia huius Authoris posse vni æque, ac alijs applicari. Quare si vel ipso iudice non profunt contra immediatam dependentiam substantiarum creaturarum à Deo in conservari: nihil etiam valent contra immediatam dependentiam à Deo in operari. Quomodo autem dominium istud non repugnet Dei sanctitati & bonitati, supra ostendimus.

120.  
Secundum  
effugium.

Ad quartam rationem, supra ex necessitate determinationis causarum secundarum ad individuum, ad quod neque seipsis determinatae sunt, neque possunt seipsas determinare, respondet cap. 18. num. 4. & sequent. Probabilius esse determinationem illam referri debere ad naturam ipsiusmet agentis: ita ut ex se, & ex suis conditionibus individuantibus, aut saltem ex aliquo principio intrinseco, hoc est, sibi inhærente, id habeat, ut ex ijs actionibus omnino similibus eiusdemque speciei, quas exercere potest, non sit in hanc prorumpat, quam in aliam, siue simpliciter, siue saltem circa hanc numero materiam, vel obiectum, si sermo sit de actionibus vitalibus quæ in obiectum aliquod tendunt. Primum quia (inquit) non est recurrendum ad causam primam, quando id, de quo est controversia, saluari potest per secundam. At per causam secundam saluari potest determinatio effectus ad individuum quia hoc numero agens, cum suis numero circumstantijs, exigit hunc numero effectum, sicut exigit hanc speciem actus. Neque videtur esse nimia perfectio creaturæ quod seipsam determinare possit ad hunc numero effectum: si non est nimia perfectio determinare se ad hanc speciem; presertim cum in eodem effectu individuario & specificatio non sint duæ distinctæ entitates. Secundò, quia si determinatio effectus quoad individuum esset necesse arbitraria respectu Dei, sequeretur creaturam non magis ex se postulare hunc, quam illum effectum intra eandem speciem. Ex quo rursus sequeretur Deum posse reproducere eundem numero effectum absque miraculo, & absque eo quod illa vis creaturæ inferatur: cuius tamen contrarium omnes docent. Probatur sequela: quia neque ex parte effectus producentis, apparet ratio cur iste potius, quam alius producat: cum neque effectus ante suam ipsius productionem ius vllum habere possit ad existendum, seu ad hoc ut producat: neque causa secunda, per se, exiget hunc effectum potius, quam illum, sed omnia divina electioni sint commissa.

121.  
Causæ secundæ non  
sunt naturaliter determinatæ  
ad hunc numero  
effectum.

Sed contra: quia cum vis agentis sit eadem respectu omnium effectuum solo numero diversorum, ab ipso producibilium: similiterque vis materiae seu subiecti concurrentis; & obiectum actuum vitalium, æque vni atque alijs actibus solo numero differentibus attingatur: ingentium est dice-

re agens, materiam, vel obiectum, habere talem ordinem, ut primo possit produci hunc numero effectum, secundò istum, tertio illum alium, & sic in infinitum: Quotque sunt agentia eiusdem speciei; hoc esse ordinem effectuum infinitorum, quorum vna infinita multitudo respondeat vni agenti, ita ut non possit ab vlllo produci naturaliter: altera aliter. Secundò, si talis est ordo naturalis inter effectus producibiles à causis secundis, tam necessarijs, quam liberis, respectu ipsarum; erit etiam inter effectus producibiles à causa prima, respectu ipsius, ita ut ordo determinatus debeat ab illa seruari in producendis effectibus solo numero differentibus. Quod licet neget ad versarius: nullam tamen reddit rationem differentie, neque potest verisimiliter reddere. Hoc autem est absurdum: quia inde sequeretur deo esse Deum determinatione quadam naturali producere hos Angelos quos produxit, hos caelos, hæc astra, hæc elementa, & alia quæ se solo produxit. Ita ut contra naturalem rerum ordinem fecisset, & contra ius quodammodo istorum individuarum, nisi illa præ alijs produxisset. Tertio, si est talis ordo naturalis inter actus numero solo differentes, qui possunt ab eodem agente procedere: ergo sicut iuxta Authoris istius imaginationem, debet voluntas, si amet Deum verb. g. elicere primò hunc numero actum amoris: deinde istum, tertio illum, & sic infinitum: ita si velit agere, debebit primò exercere actum istius speciei, puta amoris: secundò illius alterius, puta odij: & sic deinceps in infinitum. Quod per absurdum est, & contra experientiam: nullum enim in nobis experimur iudicium talis ordinis & determinationis naturalis. Probatur consequentia, cum quia non potest reddi sufficiens ratio discriminis. Tum etiam quia ex doctrina istius Authoris, verbis ante relatis in prima probatione minoris, cum in eodem effectu individuario & specificatio non sint duæ distinctæ entitates, sed vnica: si non est nimia perfectio determinare se ad speciem, neque erit determinare se ad individuum. Ergo similiter si non est nimia perfectio vel imperfectio voluptatis esse determinatam naturali quodam ordine ad individuum, si velit agere, non erit etiam nimia perfectio vel imperfectio determinatam esse ad speciem si velit agere. Quia species & individuum sunt idem realiter in eodem effectu.

Ad primam eius probationem respondeo, recurrendum esse ad causam primam quando id, de quo est controversia, saluari nequit per secundam sine figmentis improbabilibus & absurdis. Tale autem esse id quod respondet Aversarius, patet satis evidenter liquere ex illius refutatione. Quare in forma, concessa maiore, nego minorem. Quia

122.  
Necesse  
possunt ad  
illud se de-  
terminare.

Quia hoc numero agens, cum his numero circumstantiis intrinsecis & extrinsecis, antecedentibus eius operationem, nihil habet quod non eque bene conveniat cum hoc numero effectu, quam cum quolibet alio à se producibili pure numericè diverso. Ac proinde nihil habet, quo naturaliter sit magis deinctum vni effectui, quam alteri, & propter quod sit determinatum ad vnum potius, quam ad aliud. Neque obest quod causa necessaria sunt determinata ad speciem, & libera possunt ad illam seipsas determinare. Nam licet natura specifica & indiuiduatio non differant à parte rei in vna & eadem re, neque possit produci species actus, quin producat certam & determinatam, aliquod indiuiduum; maior tamè perfectio & maius dominium in effectum requiritur vt causa libera possit eligere non modò agere in tali specie potius quam in illa, puta amare potius, quam odisse: verum etiam hoc indiuiduum in specie amoris eligere præ alio simili. Quod cum humanus intellectus non discernat, neq; naturaliter discernere possit in actu vitæ istius (neq; enim nouissus distinctè indiuiduationem, etiam in rebus sensibilibus, ita vt possimus discernere vnum ab alio minino simili, clam substituto) non potest etiam voluntas nostra seipsam ad illud determinare. Si autem humana voluntas non habet hanc perfectionem vt possit se determinare ad indiuiduum; multò minùs eam habent alia agentia inferiora anima rationali. De Angelis autè hic non loquimur. Et quæuis agentia necessaria essent naturaliter ad indiuiduum determinata: sufficit nobis voluntatem nostram ad actus suos liberos tam bonos, quam malos, egerè Dei determinatione ad indiuiduum. Nam propter illos actus tota hæc disputatio ab Aduersario suscepta est. Neque negabit Deum concurrere immediatè ad actus aliorum agentium, si concurrat immediatè ad actus prauos humane voluntatis.

Ad secundam probationem Respondeo concedendo primam sequelam: & negando secundam, quod attinet ad miraculum, sumendo miraculum pro eo quod sit extraordinariè, & contra ordinem consuetum atque constantissimè à Deo seruatum. Cuiusmodi miraculum fuit quod sol steterit, id est, quod Angelus solem aliquandiu mouere cessauerit, *1o* *10*. Cuiusmodi etiam esset, si cælum & astra motu contrario moueri inciperent ab occasu in ortum. Licet enim tam Angeli, quam astra sint indifferentes ad motum vtriusque, & ad hunc motum vel ad oppositum: miraculosum tamen foret mutare illum ordinem rerum tam diuturnè & tam constanter seruatum. Porro non minus miraculosum censeretur, si Deus solus eundem effectum reproducere, quam si causa secundæ cum illius concursu. Ergo si hoc argumentum Aduersarij quicquam valet ad probandum causas secundas esse seipsas naturaliter determinatas ad indiuiduum, & ad certam seriem indiuiduorum ordine quodam

Tomus I.

producendorum: pariter probat Deum simili modo determinatum esse, ita vt debeat primò producere hoc indiuiduum, tum illud, deinde illud aliud. Quod cum Author iste proximè post negat, non aduertit vim sui arguenti hac negatione penitus enervari.

Respondet secundò num. 5. capite citati, Deum determinare causam secundam ad singularitatem actionis immiissione alicuius habitus, aut actus primi, qui potentiam ex se indifferentem respectu plurium actuum familiam, ad vnicam ex illis quasi coarctat. Iste autem habitus seu actus primus, subditur voluntati: nec vllam vim habet nisi ad nutum voluntatis. Estque satis per se credibile, quòd sicut Deus immittit in voluntates nostras habitus inclinantes eas ad certam speciem actus: ita ponit alios immittere determinantes ad actum aliquem singularem, & indiuiduum.

Sed contra: primò, Quis non videt istam immiissionem esse merum figmentum, & alià causam improbabile, & solum ad fugiendam difficultatem excogitatum. Secundò, si est impossibile, & alienum à Dei sanctitate ac bonitate, Deum, non modò solum, sed etiam concurrente cum causa secunda, producere habitum vitiosum inclinatem solum ad malum, vt docet iste Author p. 4. cap. 11. nu. 2. & 5. Quomodo non erit alienum à Dei bonitate & sanctitate, immittere se solo habitum, aut actum primum, determinatum & determinantem voluntatem ad hunc vnicum numero actum primum? Quomodo possunt hæc duo fieri sine aperta contradictione? Item, si decretum Dei de determinanda causa secunda ad hoc indiuiduum per suum concursum, lædit libertatem, vt ait idem Author cap. isto 18. num. 3. & alibi sapius: quomodo fieri potest vt non eandem lædat Dei decretum determinandi ipsam per talem habitum vel actum primum? Quasi non perinde sit respectu voluntatis, siue à Deo immediatè per seipsam, siue mediatè per aliud à Deo immissum determinetur. Tertio, contra experientiam est nos habere dominium, quale fingit, circa eiusmodi habitum aut actum primum, quem ait esse subditum ad nutum voluntatis. Actus habitus determinatus ad indiuiduum potest nihilominus subditi arbitrio libero voluntatis sine prædicto libertatis ipsius: quantò magis Dei concursus in actu primo, seu diuina potentia parata ad concurrentem si voluntas velit agere: quod tamen Author iste sapius contendit esse impossibile. Quarto, est incredibile dari posse vllum habitum aut actum primum, qui sit naturaliter determinatus ad vnicum actum, ita vt à illo vnicus tantum effectus prodire possit. Quia productio effectuum alicuius pure numericè differentium, non est difficilior, quam productio istius. Ergo vnicus est sufficiens ad istum producendum, et etiam sufficiens ad producendos alios successiue, vel diuisim: estq; impossibile vt sufficiat ad vnum, & non sufficiat ad alios diuisim, aut successiue.

111

123.  
Sive miraculosa  
reproductio eiusdem  
rei

125.

Alia respō-  
sio Aduer-  
satur.

Respondet tertio, quemadmodum creatura dependere potest à permissione Dei, tantum à conditione necessaria ut operetur, tamen si Deus immediate non concurrat: ita potest etiam quoad individuationem dependere ab eo quod permittat hoc potius individuum, quam aliud.

Verum si causa secunda est indifferens ad unum æquè ac ad aliud, neque potest seipsam determinare: quomodo potest sola Dei permissio facere ut producat unum potius quam aliud? Si enim Deus solum permittit ut producat unum potius, quam aliud, permittit solum ut producendo se determinet ad unum potius quam ad aliud. At hæc permissio est impertinens & inutilis, si non habet vim seipsam determinandi. Sicut futo inter duos sceni manipulos æquales & æqualiter mouentes posito, impotentique se determinare ad alterutrum, impertinens esset & inutile, permittere ut ad hoc potius, quam ad illud accurrat.

## SECTIO XIII.

Alia tria eiusdem Authoris effugia  
refelluntur.

126.

Ad quintam rationem nostram, sumptam ex eleuatione Dei ad actus supernaturales, nos utrosque disponentes ad primam rationem habitus, respondet cap. 18. n. 7. & sequentibus, dari nobis à Deo qualitatem fluentem supernaturalem distinctam à uocatione (id est ab inspirationibus, illuminationibus, & piis motionibus indeliberatis) eodem instante quo uocatur à Deo ad gratiam iustificationis, ad hoc ut primi nostri actus possint euadere supernaturales, habeantque proportionem cum gratia iustificationis. Vel, si quis forte malit, dici potest, inquit, actus illos supernaturales produci à uoluntate nostra, concurrente effectiue præuia cognitione supernaturali, id est, illuminatione & gratia uocationis à Deo iniussa. Vel etiam intellectum & uoluntatem nostram eleuari posse per ipsum imperium diuinum ad primos istos, & quoscunque alios actus supernaturales producendos, Deo non concurrente ad eos immediate, neque habitu, uel à qualitate, uel à principio supernaturali, ob potentiam obedientialem actiuam, quæ in qualibet creatura est ad quamlibet operationem ad Dei uoluntatem producendam. Quam sententiam ipse non improbat, sed lectorem electioni permittit.

127.

Refutatur  
argumentum  
de modo  
concurrenti  
ad actus  
supernaturales.

Sed, contra: primo, Nemo non ulet qualitatem illam supernaturalem fluentem, excogitaram solum, esse ad uitandam difficultatem. Secundo, si eius immisio uoluntati facta, non obest eius libertati, quia subditur illius arbitrio, ad agendum supernaturaliter si uelit: Quare magis oberit potentia Dei simili modo subordinata uolun-

tatis arbitrio ad agendum si uelit? Tertio, si cognitio supernaturalis sufficeret ad eleuandum uoluntatem ad actus supernaturales; non essent necessarij habitus spei, & charitatis, & alij infusi uoluntati, ut anima permanenter & immanenter eleuetur ad actus supernaturales. Iam enim esset sufficienter eleuata per habitus intellectus, ipsa constituentes intrinsecè potentem complere, & permanenter, ad actus supernaturales cognitionis immediate, mediate uero ad actus supernaturales uoluntatis. Quarto, fictitium est, & euidenter impossibile, Deum facere solo suo imperio res agant id quod agere non possunt. Quam enim est impossibile Deum agere suo solo imperio, ut res existant sine existentia: tam implicat facere, ut res existant sine agendi potentia. Quia non minus est impossibile agere sine potentia ad agendum, quam existere sine existentia. Quare cum uoluntas non habeat in se ipsa potentiam efficiendi actus supernaturales; nisi Deus illam det aliunde, frustra & inutiliter imperaret uoluntati illos efficere. Quod si dicas Deum imperando dare potentiam, aut concurrere immediate suo imperio. Respondet deo, in primo casu Deum non purè imperare, sed imperando efficere aliquid in uoluntate, uel extra, quo inuenit & eleuetur, ut possit elicere actus supernaturales. In secundo, Deus concurret immediate, quod nos intendimus, quodque iste Author ibidem, & alibi sæpissime affirmat fieri non posse sine præiudicio libertatis. Cùmque idem Author parte. 2. cap. 13. n. 2. §. Contra enim, doceat potentiam Dei equeualem distinguere ratione à Dei uoluntate, non potest dicere coherenter loquendo Deum agere immediate ad extra per solum imperium illius uoluntatis.

Ad sextam rationem nostram, quod scilicet Deus possit impedire actionem causarum secundarum, subtrahendo tantummodo concursum suum immediatum illis necessarium, respondet cap. 19. n. 7. Deum posse impedire actionem causa secundæ tamen non destructa, uel primò, immittendo illi qualitatem impossibilem cum actiue, & stupefaciuam uirtutis agendi. Cuius rei habemus exempla in remora pisciculi sistete motum nauis: & in magnete impedito ne ferri trahat, si alijs sit ceteris. Et omnino, inquit, per se satis apparet credibile, posse Deum impedire cuilibet causæ secundæ qualitates hebetantes, aut quasi stupefacientes uirtutem agendi illarum: atque adeo incōpossibiles cum actione, alioquin ab illis emanatura: quemadmodum etiam imprimere eisdem potest habitus & qualitates uigentes atque inclinantes potentiam ad agendum. Vel secundo, impedire forsitan possit actionem eiusdem causæ secundæ, non conferendo illi uirtutem quæ se determinare possit ad individuationem actionis. Vel tertio, possit impedire uoluntatem ageret, diuertendo quantum ad res alias, &

obicitur alia proponendo. Vel quarto, impedire potest actionem apponendo & augendo resistantiam in passo seu subiecto: si tamen sermo sit de actionibus quæ transeunt in subiectum capax resistantiæ. Vel quinto, si dicamus creaturas in operando pendere à permissione diuina, vt à conditione necessariò requisita, poterit Deus impedire, ne agant, nihil agendo in ipsis causis, neque etiam in passo, sed solùm volendo permittere vt causa opere xur. Vel denique aliis multis modis tamen si fortè nobis occultis.

129. Sed contra: primò, per se potius incredibile apparet nullam esse vim agendi creatam aut creabilem, quæ non habeat oppositã sibi qualitatem suprefactiuã, qua mediãte Deus possit eius actionem impedire. Et vt minimũ negare nequit Aduersarius, quin hæc responsio tam vniuersaliter sumpta, sit mera diuinatio, sine auctore vllò, & sine probabili fundamento, ab ipso prolata, vt quoquo modo sententiam suam tueri possit. Secundò, virtus illa determinatiua ad indiuiduum est fictitia & improbabilis, vt supra ostendimus, n. 124. neque potest sine contradictione admitti ab Aduersario circa actus malos, de quibus potissimè disputat & propter quos precipuè negat Deum concurrere immediatè ad alios. Tertio, non est quæstio quomodo possit Deus impedire actionem voluntatis diuertendo intellectum ad cogitandum aliud: sed quomodo possit impedire ipsum etiam intellectum, & quæcumque aliam causam secundam? Quarto, similiter non est hæc quæstio quomodo possit Deus impedire actiones circa passum capax resistantiæ: sed quomodo possit impedire quascunq; actiones, etiam illas quæ non versantur circa tale subiectum. Quintò, sola & pura permissio diuina non potest esse conditio necessaria à qua pendeant agentia physica & necessaria, imò nec libera, vt simpliciter agant. Nam pura permissio Dei vel sumitur pro mera non-impeditione, id est, pro eo quòd Deus non impedit causam secundam ne physice agat. Et si deest illa permissio, necesse est esse aliquod impedimentum positiuũ, quo causa secunda impediatur à Deo: quia negatio non tollitur formaliter, nisi per positionem eius, cuius est negatio. Itaque assignandum est quid sit illud positiuũ, quo Deus impedit causam secundam ne agat. Vel secundò, permissio Dei sumitur pro actu voluntatis, quo aliqui d permissio, id est, licitum facit: & ille est actus immanens Dei vel solus, vel exteriùs signo al quo declaratus, valens duntaxat ad non impediendum moraliter creaturas cognitionis & libertatis capaces, vt licitè agant: sed non ad impediendum physice aut moraliter ne simpliciter agant. Ac proinde defectus permissionis illius, non potest physice impedire actionem causarum secundarum. Vt patet manifestè ex opposito puræ permissionis, quod est prohibitio. Sicut enim actus prohibendi diuinus purus, nobis decla-

ratus, tantum facit & mouet moraliter ad non agendum licitè id quod prohibetur: sed non impedit physice quò minus illud re ipsa operentur si velimus. Sic permissio &c. Denique alij modi occultis ad quos aduersarius vltimo loco confugit, non sunt sine maiori fundamento asserendi esse possibiles, aut præcedentibus verisimiliores.

Ad septimam & vltimam rationem nostram, quòd scilicet absurdum sit admittere aliqua entia extra Deum quæ non pendeant à Deo per se & proprie. Respondet parte 4. cap. 17. n. 6. Licet communiter causa remota non dicatur iam proprie causa, quàm proxima & immediata, quemadmodum nõ tam proprie dicor calefieri ab igne, quando aqua prius ab igne calefacta me calefacit, tamen si ignis immediatè conseruaret in aqua calorem qui me calefacit, ipse etiam diceretur satis proprie me calefacere. Et sic etiã Deus peculiari ratione appellatur causa nostræ actionis bonæ tamen eam non producat immediatè, quia omnis huiusmodi actus fit illo directè volente & suadente, viresq; ministrante vt bene operemur. At verò non potest appellari causa propria, nec consequenter immediatè, actionis prauæ, prout Concilium Tridentinum definiuit sess. 6. can. 6. quia tamen conferat conseruatq; nobis vires, quibus operamur malũ: non tamen eo sine vt malè operemur, sed vt opposito modo agamus. Ex quo sequitur non esse inconueniens admittere aliquam creaturã, cuius Deus non sit tã proprie causa quàm effectus, si proximè & immediatè eam producat.

131. Sed contra primam partem huius responsionis, oppono aliqua fieri à causis secundis, quas Deus immediatè non conseruat, iuxta sententiam huius noui Theologi, sed conseruantur duntaxat ab alia causa secunda. Ex. gr. lux solis, & aliorum aliorum, non conseruatur immediatè à Deo, sed ab ipso sole, aliisque fortassè astris, à quibus continuo pendet in conseruari, æquè ac in fieri. Nam iuxta doctrinam istius Authoris p. 4. cap. 17. num. 5. effectus qui pendent continuo in conseruari à causis secundis, à quibus producantur, non conseruantur immediatè à Deo. Ergo lumen productum in aère à lumine solis & aliorum astrorum, non pendet, neq; fit per se & proprie à Deo, quia non pendet, neque fit immediatè à causa, quam Deus immediatè conseruet. Sic etiam species sensibiles impressa à lumine non pendent à Deo per se & proprie, quia sunt & continuo pendent immediatè à lumine, productio similiter & pendente continuo immediatè ab aliqua causa secunda.

132. Secunda verò pars eiusdem responsionis est inutilis repetitio argumenti refutati sect. 8. quod cum, vt ostendimus, sit falsum, eo sensu quem aduersarius intendit, est consequenter inutiliter ad ostendendum non esse inconueniens & absurdum admittere entia creata, quæ non pendeant per se ac proprie à Deo: cum tamen essentia

liter sint ens ab alio, & ens participatum: id est, sint essentialiter participatio aliqua primi entis, & principij vniuersalis rerum omnium, ac fontis primordialis totius esse, à quo necesse est creaturas omnes tanquam riuulos emanare, & non minus pendere quam riuulus pendeat à continuo fonte in fluxu, sicut radij solis pendeant à sole: quibus exemplis S. Dionys. alijque Patres vti solent.

133.  
Conclusio  
totius dis-  
putationis  
hinc.

Ex his omnibus liquet primò, Authorem disputationis quadripartita non tam euidenter sententiam suam demonstrasse, atque ipse sibi imaginatur, sæpiusque inculcat. Secundò, parum bene meritum esse Theologis illis, quorum controuersiam componere aggressus est. Quamquam, licet suam sententiam melius professet, illisque omnino persuasisset; maneret adhuc integra difficultas, & controuersia, quæ inter illos est de efficacia auxiliiorum. Nam cum de fide sit egere nos auxiliis gratiæ præuenientibus, & præuocantibus, ut vtiliter ad vitam æternam, & sicut oportet, operari possimus: sublatò nec concursu Dei immediato, quæritio integra superest: an auxilia illa sint tantæ efficaciam, ut prædeterminent physice voluntatem, & voluntas in sensu composito, id est, illis præuenit & coniuncta, non possit non consentire, sicut affirmant Thomistæ? An verò potius, ut docent alij Theologi cum Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. fuit eiusmodi, ut liberum arbitrium à Deo excitatum & præuenit, possit dissentire si velit, & inspirationem diuinam abijcere? Quare quæ Author ille disputat contra modernos, ut vocat, scientiæ mediæ assertores (quam tamen scientiam fateatur p. 1. cap. 3. à Scriptura & sanctis Patribus esse traditam) non tam valent ad terminandam controuersiam, quam ad augendam, impugnando modum, quo solo potest vere similiter conciliari libertatis exercitium cum efficacia auxiliiorum, & prædefinitionibus actuum liberorum. Cùmque parte prima probat, alibi que sæpius inculcat, controuersiam illam grauissimam, & celeberrimam, orisse ex opinione, necessitatis concursus diuini immediati: indeque sumit occasionem explicandi & impugnandi sententiam assertorum scientiæ mediæ, nota parte secunda; & sententiam prædeterminantium, tota parte tertia: puto id magis fecisse, ut suam disputationem prolixiorē iuxta, ac speciosiorē redderet. Nam ut notauimus sect. 3. num. 26. Thomistæ non tam nituntur fundamentò concursus diuini immediati, ad asserendam physicam prædeterminationem, quam illud destruunt, tribuendo tæam actiuitatem concursus qualitati cuidam fluenti immixtæ voluntati. Ex alis verò Theologis illi qui bene radicem controuersie perscrutant & designant, non dicunt illam esse necessitatem

rem concursus diuini immediati: licet non ea explicanda de illo disputent, qui vera doctrina de concursu immediato Dei plurimum inuadit ad explicandam difficultatem. Eademque de causa disputant etiam de libertate creatæ voluntatis. Quod ipsum Aduersarius poterat aduertisse apud Suarez in præmio opusculorum, cuius verba reculit parte 1. suæ disputationis cap. 1. num. 6. sic enim habet: Quamuis huius disputationis præcipuum caput sit auxilium efficax: tamen quia hoc ipsum conexum implicatumque est cum generalibus principiis de primæ causæ concursu ac prouidentia, & quia de actibus liberis aliqua dogmata permixta esse cernimus: commodum nobis visum est, totum hoc opus (de auxiliis) tribus libris comprehendere. Quorum primus sit de modo concurrendi Dei cum causâ secunda libera. Alter verò de his quæ pertinent ad actus operum naturalis tam bonos, quam malos. Tertius deinde de his omnibus, quæ spectant ad gratiam efficacem, & prouidentiam supernaturalem. Hac Suarez. Ex quibus debebat Aduersarius sic potius inferre: Ecce qualiter Patre Suariorum in hac tractatio de concursu Dei non est radix fundamentumque præcipuum, istiusmodi controuersiarum, quæ sunt inter prædeterminantes ex vna parte, & assertores scientiæ mediæ ex altera: sed tantum est conexa implicataque cum controuersia, quæ inter illos est, de efficacia auxiliiorum, gratiæ. Et hæc tenus de concursu Dei cum bona illius Authoris venia dictum sit. Nunc postquam de Deo ut creatore, deque modo emanationis ac dependentiæ creaturarum à primo illo rerum omnium principio sufficienter pro instituto diximus, sequitur ut de Angelis creaturarum nobilissimis differamus cum D. Thom. qu. 50. & plurimis sequentibus. Tantum autem quæ de illis D. Thomas cuiusque interpretes copiose tractant, maiori ex parte Philosophica esse videantur, & ad Metaphysicum potius, quam ad Theologicum iure suo pertinere: quippe quæ non tam habentur ex diuina reuelatione, quam ex humana ratiocinatione: Grauiam tamen illa omnia sunt, & digna exacta discussione: inuuantque; ut plurimum ad ea melius intelligentia quæ de Angelis in Scriptura, & diuina traditione docentur. Quare non sunt reprehendendi, sed laudandi potius hæc in parte Theologi, quod ea quæ breuiter & icinè, nec sine multis erroribus, de natura & proprietatibus Angelorum scripta erant à Platone, Aristotele, & aliis Philosophis ethniscis, tam exactè, dilucide, & copiose, profecti sunt: nihilque eorum prætermiserunt quæ vel diuina reuelationis ope, vel traditione & doctrina sanctorum Patrum, vel exacta luminis naturalis applicatione, & accurata inuestigatione, de illis possunt humanitus cognosci.